

Bloemers, Johan Henrik Frederik
Observationes criticae in scholia ad Aristophanis Ranas.

Observationes Criticae in Scholia ad Aristophanis Ranas.

J. H. F. BLOEMERS.


A

Observationes Criticae in Scholia ad Aristophanis Ranas.



Observationes Criticae in Scholia ad Aristophanis Ranas.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

C. H. H. SPRONCK

MED. DOCT. ET IN FAC. MED. PROF.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM

ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

JOHAN HENDRIK FREDERIK BLOEMERS

GOUDENSIS

DIE JOVIS VII M. JULII A. MDCCCCIV HORA III P. M.

TRAIECTI AD RHENUM

APUD KEMINK ET FILIUM

MDCCCCIV

MATRI OPTIMAE,
MEMORIAE PATRIS.

Promotori suo, viro clarissimo

J. C. VOLLGRAFF

pro multo labore huic opusculo impenso,

Praeceptoribus suis, viris clarissimis

H. VAN HERWERDEN,

J. VAN DER VLIET, *piae memoriae,*

F. J. L. KRÄMER,

B. H. C. K. VAN DER WIJCK,

viro doctissimo

H. VAN GELDER,

pro institutione et comitate gratias agit

DISSERTATIONIS AUCTOR.

Stadio academico decurso aptam disputationis materiam cum quaererem, qua jam summos in literis honores petere ex lege mihi liceret, forte fortuna incidi in Scholia ad Aristophanis Ranas. Neque diu haesitavi quin aliorum vestigiis ingressus illam qualemcumque annotationum congeriem pro virili parte critice tractare conarer. Ad justam enim poetae interpretationem scholia haud parvam habere utilitatem, quis non concedet, qui reputaverit iis, praeter observationum farraginem futilem et inutilem, contineri quoque sanae Didymi, Symmachi, Aristarchi, aliorum veterum grammaticorum [1]) doctrinae reliquias haud spernendas? Quibus destituti in fabulis Aristophaneis locos haud ita paucos aut non aut minus bene intellegeremus.

Licet autem mirari — id quod nemini paullo accuratius textum traditum perlustranti non patebit — scholia illa, temporum hominumque injuria pessime habita, etiamnunc post tot virorum doctorum curas tam mutila et disjecta et variis modis corrupta circumferri ut vel tiro hic illic molestias tollere verborumque contextum in integrum restituere non frustra tentaturus sit.

Fundamentum mihi posui editiones Dindorfii, Duebneri, Martini, Rutherfordi [2]). Quarum Dindorfiana et Duebneriana in textus

---

1) Cf. O. Schneider: De veterum in Aristophanem scholiorum fontibus commentationis p. 86 sqq.

2) Scholia codicis Ven. ex editione Duebneriana exscripsi; ubi scholia e codice Rav. leguntur, Rutherfordum secutus sum. Hoc unum moneo, e promotoris consilio me correxisse accentus vitiosos, quos tuetur Ruth.

constitutione haud multum inter se discrepant, nisi quod haec accuratius diversos codices distinguit itaque ad usum aptior est. Quamquam, ut rectissime jam observarunt Augsberger [1]) et v. Velsen [2]), non est quod majorem in Duebnero fiduciam collocemus, utpote qui totus a Dindorfio pendeat. His vero ducibus non temere credendum esse, luculenter recentiores collationes Holzingeri [3]) et Martini [4]) et, qui fuse docteque de scholiis Aristophaneis disputavit, Zacher [5]) ostenderunt. Cujus ex libro simul apparet haud ita magni faciendam esse codicis Ravennatis auctoritatem, quantum quidem ad scholia attineat, quae diversam non efficiant classem, sed ex eodem, quo codicis Ven., scholiorum corpore procreverint. Quem codicem „scholia antiqua longe quam Ravennas habet ampliora" continere, in editione sua jam observaverat Dindorf. Mirari igitur cum Zachero [6]) licet, post haec omnia novam scholiorum codicis Ravennatis editionem denuo parasse Rutherfordum Quamvis enim speciosa et vere docta haec editio sit sagacisque critici summum ingenium identidem prodens, jure tamen scripsit Zacher [7]): dass dies Buch nicht ist, als was es erscheint, nämlich eine Ausgabe der alten Scholien zu Aristophanes, dass es als solche nicht betrachtet werden kann und nicht benutzt werden darf, sondern dass es nur angesehen werden

---

1) Augsberger Die Aristophanesscholien u. der cod. Ven. A. Sitzungsber. d. Bayr. Acad. v. Wiss. München 1877 p. 254 sqq.

2) Philol. 24 p. 124 sqq.

3) v. Holzinger Beiträge zur Kenntniss der Ravennasscholien zu Aristophanes. Wiener Stud. 1882 p. 2 sqq.

4) Martin Les scolies du manuscrit d' Aristophane à Ravenne.

5) Zacher Die Handschriften u. Klassen der Aristophanesscholien. Jahrb f. Philol. suppl. 16 p. 501 sqq.

6) Philol. suppl. VII p. 498 sqq. cf. v. Leeuwen in Praefatione ad speciosissimam codicis Rav. editionem phototypicam (Lugduni Batavorum 1904), p. 10 sqq.

7) Ib. p. 529.

kan als eine sehr reiche Sammlung höchst anregender Beiträge zur Kritik und Erklärung der Aristophanesscholien. In eandem sententiam judicium de hoc libro tulit v. cl. v. Leeuwen [1]).

Sed jam satis est ne nimium excrescat praefatio.

Libros autem et disputationes omne genus, quibus varia virorum doctorum de editionibus judicia continentur in calce indicasse suffecerit [2]).

---

1) Mnemos. N. S. 24 p. 334 sq.

2) Absoluto demum opusculo in manus mihi incidit liber Roemeri, qui inscribitur: Studien zu Aristophanes u. den alten Erklärern desselben. p. I. Qui in praefatione etiam opinionem suam profert hanc, primum locum codicis Rav scholia diutius obtinere non posse, quippe qui scholiis codicis Ven. debeatur. Ceterum de Rutherfordo nimis acerbe saepius eum judicasse existimo. — Quae ad scholia nostra pertinent perlegi; non ita multa vero in quibus cum auctore mihi convenit inveni, quorum locorum in notis rationem haberem.

Ipsius fabulae locorum qui tractantur conspectus.

Schol. Rav. ad vs. 1. Ὁ Ξανθίας ἐπὶ ὄνου παράγεται καθεζόμενος ἔχων ἐπὶ τῶν ὤμων ἀνάφορον ὅπου ἦν τὰ στρώματα.

Corrigendum est: ἐπὶ τοῦ ὤμου, ut exhibet cod. Ven. Ex vs. 8 enim manifestum est jugum quod fert non ea forma fuisse qua hodie apud nos utuntur, sed unum tantum humerum id sustinuisse.

Schol. Rav. ad vs. 11. μὴ δῆθ᾽ ἱκετεύω κτλ.: τότε, φησί, λέγε ἐὰν θέλῃς, ἐπιτηρήσας ὅτε μέλλω ἐξεμεῖν· ῥᾷστα γὰρ μᾶλλον ἂν ἐξεμέσαιμι.

Rutherford vertit: *If sick at all, I should rather be sick easily.* Voc. μᾶλλον defendi sic fortasse potest, attamen abesse mallem. Quum e rei natura haud difficile sit intellectu unumquemque quam facillime vomere cupere, his ipsis verbis dicendum amplius non erat. Praeterea nihil ad rem quid Dionysus cupiat, de efficacitate tantum talium jocorum verba fiunt. — Lectio quoque cod. Ven.: ῥᾷστα γὰρ ἂν ἐξεμέσαιμι, ἐὰν εἴπῃς luculenter ostendit voc. μᾶλλον a scholio nostro olim afuisse, quapropter cum Dindorfio et Dübnero delendum est.

Schol. Rav. ad vs. 14. Λύκις: Λύκις κωμῳδίας ποιητής. ὡς ψυχρὸς κωμῳδεῖται. Λύκις: * λέγει αὐτὸν καὶ Λύκον. Λύκις: * οὗ οὐδὲν φέρεται. Lacunas statuit Ruth. In altera tamen lacuna quae omissa esse possint, prorsus non assequor, nisi hic fabulae nomen in textu fuerit. Quam conjecturam repudio, quia scholiasta fabularum titulos apponere non solet, nisi ubi versus aliquot ex ipsa hac fabula citat aut indicat unde verba apud comicum mutuata sint. Quam ob rem transponendum esse duco: Λύκις κωμῳδίας ποιητής οὗ οὐδὲν φέρεται· ὡς ψυχρὸς κωμῳδεῖται.

Schol. Rav. ad vs. 22. υἱὸς Σταμνίου: ἔπαιξεν, ἐπεὶ ὁ κέραμος ἐν αὐτῷ βαστάζει τὸν οἶνον ὥσπερ παῖδα καὶ τρέφει.

Immo: ἐν ἑαυτῷ, cum Dind. Praeterea inserendum esse suspicor <μήτηρ>; comparatio ad feminam gravidam quae infantem in utero gerat, spectare videtur. Quod autem Ruth. vertit: *The jar carries the wine in its arms (!) like a child*, id scholii verbis elici nequit. Adde quod sic sententia absurdissima prodit. Ceterum quoniam verba καὶ τρέφει, sicut nunc leguntur, misere languent, totum scholium lego: ἔπαιξεν, ἐπεὶ ὁ κέραμος ἐν ἑαυτῷ βαστάζει τὸν οἶνον ὥσπερ καὶ <μήτηρ> παῖδα τρέφει, vel potius φέρει, quod exhibet Ald.

Schol. ad vs. 32. (Dübn. p. 275 b. 31) ἐν τῷ μέρει κτλ.: κατά τι μέρος ἢ ἐν τῷ ἴσῳ μέρει, κατὰ τὴν ἀμοιβὴν βάστασον τὸν ὄνον.

Restituo: κατὰ τὸ (Ruth.) μέρος ἢ ἐν τῷ σῷ μέρει. κατ' ἀμοιβὴν β. τ. ο. Locutio ἐν τῷ ἴσῳ μέρει nusquam scriptum exstat, neque, etiamsi inveniretur, aliud quid significare posset nisi: *aequaliter, simili modo*, non quod scholiasta vult: *tua vice.* Litera ι in ἴσῳ facile ex dittographia literae ι in τῷ adscriptae nasci potuit. Praeterea articulum omisi, quod in hoc tantum non adverbiali genere dicendi semper abest. cf. κατ' ἐξοχήν, καθ' ἡσυχίαν, κατὰ κράτος etc.

Schol. ad vs. 35. (Dübn. ib. 42) κατάβα πανοῦργε: τὸ χ [ὅτι κατάβα φησί]. πρὸς τοὺς ἀξιοῦντας, ὅτι κατάβηθι λέγεται μόνως.

Verba exclusa, ut prorsus supervacua, delenda sunt, cum e contextû luculenter appareat ad quod voc. signum referendum sit. Ipsa autem quae significantur verba nuda repetere scholiasta non solet [1]). Quae expunxi longioris annotationis quisquiliae esse videntur, quam trahit Keil [2]) e Tzetzae scholiis: τὸ χ δὲ γράφεται, ὅτι οὗτος ξενοτέρως ἀντὶ τοῦ κατάβηθι κατάβα εἶπεν.

---

1) Cf. Schol. ad Plut. 66, 401, 862, Nub. 965, Vesp. 1191, Pac. 775, 990, Av. 309, Lys. 701, Thesm. 917.

2) Rhein. Mus. VI. p. 617.

Schol. Rav. ad vs. 40. ὁ παῖς: ὁ Διόνυσος νεύει πρὸς τὸν Ξανθίαν καὶ λέγει μειρακευόμενος ὡς δείσαντος αὐτὸν τοῦ Ἡρακλέους. καθόλου γὰρ τοιοῦτον εἰσάγουσι τὸν Διόνυσον ὡς ὄντα δειλόν.

Ruth. sine causa haec distrahit, vs. 40 adscribens verba: καθόλου — δειλόν et: ὁ Διόνυσος — Ξανθίαν, cetera vs. sequenti. Verba καθόλου — δειλόν locum suum sic non tenere manifestum est; primum enim conjunctio γάρ delenda fuisset. Quid tamen hoc loco τοιοῦτον significet non capio. Ex simplici locutione ὁ παῖς Dionysum ignavum esse non apparet, appareat autem necesse est ex modo quo haec verba pronuntiantur. Quod igitur antecedere oportet.

Veram tamen vocabuli τοιοῦτον explicationem verba: ὡς ὄντα δειλόν non praebent; valet enim μειρακευόμενος: *adolescentis more exsultans.* Itaque vulgatam servatam quidem vellem, sic tamen ut i. f. lacunam statuam. Dübn. edidit: .... ὡς ὄντα δειλὸν, μόνον δὲ καυχηματίαν, ex Ven. cod. haec recipiens. Quae mutila esse nemo non videt. Expectaveris: ὡς ὄντα δειλὸν μὲν, καυχηματίαν δέ.

Schol. Rav. ad vs. 46. ὁρῶν λεοντῆν κτλ.: ἐφόρει λεοντῆν ἵνα ᾖ ὡς Ἡρακλῆς. Ἡρακλέους γὰρ φόρημα ἡ λεοντῆ. *ἵνα ᾖ φοβερός. Διονυσιακὸν φόρεμα ὁ κροκωτός.

Sic Ruth. edidit; in cod. autem est: κροκωτὸν (accentus gravis ex acuto factus) δὲ ἵνα ᾖ φοβερόν. Quae in lacuna excidere potuerint equidem non video. Collato Suid. s. v. κροκωτός legendum esse suspicor: ἐφόρει λεοντῆν ἵνα ᾖ φοβερός. Verba ὡς Ἡρακλῆς, quae omnino abundant, ex alia annotatione huc irrepsisse videntur. In cod. Ven., in quo post ἐφόρει inseritur δὲ, haec post Διονυσιακὸν φόρεμα ὁ κροκωτός scripta fuisse (ut recte ediderunt Dind. et Dübn.) apparet.

Schol. ad vs. 48 (Dübn. p. 276. 39) ἐπεβάτευον Κλεισθένει: .... ἐστρατήγησε δὲ νεωστὶ καὶ ἐνίκησεν οὗτος.

Jure jam Fritzsche haec vera non esse monuit. Inter praetores qui in proelio navali ad Arginusas imperaverunt, ad quod

proelium verbum ἐνίκησεν nimirum spectat, Xenophon [1]) Clisthenem non memorat, neque per se verisimile videtur Athenienses periculosissimis rei publicae temporibus eum praetorem fecisse. Annotatio fluxisse videtur ex praecedentibus: ἐμφαίνει οὖν ὅτι, εἰ κατὰ στρατείαν ἀπεδήμουν, μετὰ Κλεισθένους ἂν ἐστρατευσάμην, quae ironice dicta esse Graeculus nescio quis non intellexit.

Schol. Rav. ad vs. 51. Κᾆτ' ἔγωγ' ἐξηγρόμην: Διόνυσος λέγει. ὡς τῶν ἐπίτηδες ψευδομένων ἐπιλεγόντων τοῦτο [καθ' ὃ δηλοῦται ὅτι ἐνυπνίῳ ἐοίκει (?) τὸ λεγόμενον.] τινὲς τῷ Ἡρακλεῖ προσνέμουσι τοῦτο.

Sic Ruth.; in cod. legitur: οἱ δέ φασι Διόνυσον λέγει· κᾆτ' ἔγωγ' ἐξηγρόμην, deinde: οἱ δὲ τῷ Ἡρακλεῖ π. τ. Quae Ruth. uncis conclusit servari me judice possunt, nisi quod quae expunxit transposita mallem. Propono: οἱ μέν φασι Διόνυσον λέγει<ν>· κᾆτ' ἔγωγ' ἐξηγρόμην, ὡς τῶν ἐπίτηδες ψευδομένων ἐπιλεγόντων τοῦτο· οἱ δὲ τῷ Ἡρακλεῖ προσνέμουσι, καθ' ὃ δηλοῖ ὅτι ἐνυπνίῳ ἐῴκει (Suid.) τὸ λεγόμενον. Quae vertas: *Dionysum haec verba dixisse sunt qui autument, quod qui de industria mentiuntur ipsi haec subjicere soleant. Alii vero Herculi haec assignant, ita ut quae dicta sint, somnium sibi videri significet.* Praeterea in scholii initio (ante σκώπτει τὸν Διόνυσον) haec omnia fuisse credo.

Schol. Rav. ad vs.53. τὴν Ἀνδρομέδαν: διὰ τί μὴ ἄλλο τι τῶν πρὸ ὀλίγου διδαχθέντων καὶ καλῶν, Ὑψιπύλην, Φοινίσσας, Ἀντιόπην; ἡ δὲ Ἀνδρομέδα ὀγδόῳ ἔτει προῆλθεν· ἀλλ' οὐ συκοφαντητὰ ἦν τὰ τοιαῦτα.

In cod. est προσῆλθεν, super σ duo puncta; Ven. exhibet: προσῆκται, quod proxime a vero remotum videtur.

Rejecta correctione Dindorfiana: προεισῆλθεν, legendum esse suspicor προεισῆκτο [2]). Locos ubi εἰσέρχομαι de fabula ponitur, ita ut

---

1) Hell. I. 7. 2.

2) v. Leeuwen in commentario ad vs. 52 sq. scripsit προεισῆκται, quod etiam Dindorfium proposuisse nunc video. Minus tamen recte, me judice.

passivum sit verbi εἰσάγω, frustra quaesivi. De choris et de personis solum ponitur. Ruth. in fine recipiens Dindorfii emendationem, pro corrupto συκοφαντεῖται δήν legentis: συκοφαντητὰ ἦν, haec vertit: *The answer is that such great plays did not admit of disparagement.* Quae si vera sunt, scholiastam comoediam minus accurate legisse, vix est quod addam. Quatuor enim locis in fabula nostra [1]) Hypsipyle traducitur, semel [2]) Phoenissae. Denique quid annotatio hic sibi velit satis perspicuum mihi non est; Andromedam enim neque Dionysus neque Hercules irridet. Nam qui sequitur jocus Euripidem non tangit.

Schol. Rav ad vs. 64. ἆρ' ἐκδιδάσκω τὸ σαφές: οἵως ἐρῶ. | ἑτέρᾳ φράσω: ὑποβάλλων σοι τὸν ἔρωτα τοῦ ἔτνους.

Perperam Ruth. codicis lectionem: διδάσκω οἵως ἐρῶ, ὑποβάλλων κ. τ. λ. distraxit, posteriora vertens: *by suggesting you that I am in love with soup.* Quae valde miror. Verba ὑποβάλλων σοι κ. τ. λ. lemmati ἑτέρᾳ φράσω adscribi nequeunt. Paullo enim ante Dionysus per ipsam hanc comparationem Herculi rem explicare conatus est. Neque recte Ruth. haec vertisse autumo, quia, oppositione inter Herculis et Dionysi pultis amorem sic nascente, pronomen omnino omitti non potuit. Dionysum haec dixisse, me judice, scholiasta vult: *Jam (comparatione) luculenter docui qualis amor me teneat, nempe in memoriam tibi revocando amorem tuum pultis?* — Jure Kock praesentem ἐκδιδάσκω vim perfecti hic habere monet. Ceterum cum Dindorfio facio, qui dedit ὑποβαλών.

Schol. ad vs. 67 (Dübn. p. 276 b. 43) τοῦ τεθνηκότος: οὕτω γὰρ καὶ αἱ διδασκαλίαι φέρουσι, τελευτήσαντος Εὐριπίδου τὸν υἱὸν αὐτοῦ δεδιδαχέναι ὁμώνυμον ἐν ἄστει Ἰφιγένειαν τὴν ἐν Αὐλίδι, Ἀλκμαίωνα, Βάκχας.

Sana haec esse nego. Legendum est: τὸν υἱὸν αὐτοῦ <τὸν>

---

1) Vs. 1211, 1305, 1320, 1327.

2) Vs. 1184.

ὁμώνυμον, vel servandum quod exhibent Ven. et Ald. ὁμωνύμως [1]). Fritzsche scholiastae argumentum sic tantum probari posse perhibet, si mors Euripidis majoris in didascaliis diserte indicata fuerit, itaque post ἐν ἄστει inserit: ἐν τῷ προτέρῳ ἔτει. Quod prorsus rejicio. Fac anno 406 (quod Fritzsche probare videtur) Dionysiis urbanis i. e. mense Martio exeunte vel Aprili ineunte filium has tragoedias docuisse atque in didascaliis tantum fuisse, post Euripidis majoris obitum id factum esse, quidni scholiasta noster, ipsius quo actae sunt anni gnarus, hoc argumento uti potuit, ut jure nunc Herculem Euripidem mortuum nuncupare demonstraret? Sin vero quo tempore hae tragoediae in scenam producebantur plus quam annus post Euripidis obitum praeterierat Ranaeque igitur prius actae erant, annorum numerus diserte indicandus fuerat. Quo facilius quae velim intellegatur, exemplo utar. Fac Iphigeniam anno 404 in scenam productam esse [2]), additamento sic opus esset: ἐν τρίτῳ ἔτει. Sed cum de tempore nihil constet, res dijudicari non potest. cf. Zirndorfer de chronologia fabularum Eur. p. 88 sqq.

Schol. ad vs. 73 (ib. 51) τί δ'; οὐκ Ἰοφῶν: υἱὸς Σοφοκλέους ὁ Ἰοφῶν. ἠγωνίσατο δὲ καὶ ἐνίκησε λαμπρῶς ἔτι ζῶντος τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. διὸ ἀμφιβάλλει μήποτε τοῦ Σοφοκλέους εἴη εἰρηκὼς τραγῳδίαν.

Ultima sensu sic carent. Vertenda enim essent: *Quapropter suspicatur eum Sophoclis tragoedism indicasse.* Qui vero Hercules quaestione sua suspicionem aliquam enuntiet, Dionysum Sophoclis artem ante oculos habuisse, equidem non perspicio. De Sophocle enim verba Dionysus non fecit. Scholium depravatum esse putans

---

1) Sic etiam Weil in Iphigeniae Aul. editione.

2) Dindorf (Adnotationes ad Eur. I p. 446) anno 405 id factum esse suspicatur, simul tamen addens haec extra dubitationem esse se minime contendere. Cujus opinioni scholium nostrum, nihil inserto, non favet. Sic enim scholiasta hoc argumento uti nequiverat, quia Euripidis mors inter Lenaea, cum Ranae actae sunt (mense Jan.) et Dionysia incidere potuerat.

restituendum esse suspicor: *διὸ <Διόνυσος> ἀμφιβάλλει μήποτε <ἑαυτοῦ> Σοφοκλέους εἴη εἰρηκὼς τραγῳδίαν*, i. e. *qua de causa (scil. quia pater superstes adhuc erat) Dionysus suspicatur (in sequentibus) Iophontem patris tragoediam sibi imputasse.* Leeuwenii conjecturis [1]) *εἰσηχὼς* vel *καθεικὼς τραγῳδίαν* aut *νενικηκὼς τραγῳδίᾳ* hoc praefero.

Utut id est, ad eandem rem se referre videtur schol. ad. vs. 78: *κωμῳδεῖται γὰρ ὁ Ἰοφῶν ὁ υἱὸς Σοφοκλέους ὡς τὰ τοῦ πατρὸς λέγων ποιήματα.* Quae bonam explicationem non admittunt, ut Ruth. quoque observat. Vertit: *Iophon the son of S. is attacked in comedy for using his fathers poems*, in adnotatione tamen addens: *It seems hardly possible to give λέγω this sense.* Rectissime igitur proposuit: *ὡς <ἑαυτοῦ> τὰ τοῦ πατρὸς λέγων ποιήματα.* In utriusque scholiastae fonte vitium jam affuisse apparet, itaque hi loci novum argumentum praebent Zachero [2]), ex uno eodemque archetypo et Rav. et Ven. codices fluxisse contendenti.

Schol. ad vs. 78 (Dübn. p. 277, 9.) *οὐ μόνον ἐπὶ τῷ ταῖς τοῦ πατρὸς τραγῳδίαις ἐπιγράφεσθαι, ἀλλ' ἐπὶ τῷ καὶ ψυχρὸς καὶ μαλακὸς εἶναι.* Cum cod. Ambr. legere mallem: *ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῷ ψυχρὸς κτλ.*

Schol. Rav. ad vs. 79. *κωδωνίσω: ἀντὶ τοῦ δοκιμάσω. ὅτι τινὰ τῶν ὀρνέων δοκιμάζεται τῷ τοῦ κώδωνος ψόφῳ.*

Nimis brevem epitomen ex archetypo scholiasta hic dedit. E nudis enim scholii verbis minime colligitur, quare Graeci aves quasdam tintinnabuli sonitu examinaverint. Lucem petamus ex schol. ad Lys. 485: *οἱ δὲ ὑπομνημονισταὶ ἀπὸ τῶν ὀρτύγων φασὶ μετῆχθαι τὴν λέξιν* (scil. *τὸ κωδωνίζειν*). *τοὺς γὰρ ὑπομείναντας τὸν ἦχον τοῦ κώδωνος ἐπιτηδείως ἔχειν πρὸς μάχην.*

---

1) Mnemos. 24. p. 335.

2) K. Zacher: Die Handschriften u. Klassen der Aristophanesscholien (Fleckeisens Jahrb. Suppl. 16. p. 705. sqq.)

Schol. ad vs. 86 (Dübn. ib. 48) Ξενοκλέης: . . . τρίτος δέ ἐστι τούτοις ὁμώνυμος, πολιτικὸς, Φαύλου μὲν πατρὸς, τῶν δὲ δήμων Χολαργεύς.

Locus corruptus; teste Zachero[1]) Tzetzes legit: Φαΰλλου: recte fortasse. De hoc tamen Xenocle nullam omnino mentionem factam inveni. — Praeterea corrige ex Ven.: τὸν δὲ δῆμον, quod Ruth. ad vs. 886 etiam recepit.

Schol. ad vs. 87. (ib. 51) Πυθάγγελος δέ: ὁ Ξανθίας δὲ ὑπομνησθεὶς τῆς Πυθαγγέλου φωνῆς φησὶν ὅτι οὐ φροντίζετέ μου Πυθαγγέλου καὶ ταῦτα μνημονεύοντες.

Ruth. edidit: ὁ Ξανθίας ὑπομνησθεὶς τῆς ἄγγελος φωνῆς φησὶν ὅτι οὐ φροντίζετε μοῦ ἀγγέλου καὶ ταῦτα μνημονεύοντες. Hanc quamvis speciosam correctionem probare non possum. Qui enim scholiasta Xanthiam *nuntium* nominare potuit, qui partes tantum agit servi, heri comitis, nusquam autem nuntium aliquem affert aut legatione fungitur? Praeterea verba καὶ ταῦτα satis incommode locata sunt. Partim cum Ruth. faciens in fine legendum esse suspicor: ὅτι οὐ φροντίζετε μοῦ καὶ ταῦτα ἀγγέλου μνημονεύοντες. Interpretor: *Xanthias, cui vocabuli ἄγγελος sonus in auribus haeret, dicit: Mihi non consulitis idque vel nuntiorum mentionem facientes, i. e. nimirum me vilem servum neglegitis, tametsi de aliis, qui nihil ad rem, loquimini.*

Obiter notandum est acutius quam verius poetam explicasse scholiastam. Lusus verborum quem ille in annotatione indicat, in poetae verbis nunc non invenitur[2]). Quod si voluisset, scripsisset profecto: περὶ δ' ἀγγέλου οὐδεὶς λόγος, vel tale quid. Sic tantum spectatores jocus non fugisset. Sed nihil aliud poeta voluit nisi, ut

---

1) l. l. p. 708.

2) Fidemne hoc scholium facit Meinekio, quem sequitur Kock, ante Xanthiae verba lacunam statuenti ita ut Dionysi, iterum jocantis, verba quaedam exciderint? Dionysium gestu tantum respondisse v. Leeuwen putat.

dicit v. Leeuwen, oblivio dignum Pythangelum acerbe notare servi verbis se neglegi, dum vel talium homuncionum mentio fiat, querentis. De scholiasta valet illud: Nequid nimis!

Schol. Rav. ad vs. 91. Εὐριπίδου πλεῖν κτλ.: πλέον ἢ σταδίῳ Εὐριπίδου Φλυκρώτερα.

Ruth. annotans: *observe* Φλυκρώτερα, nimis prudenter, me judice, nihil mutat. Quod ne faceret fortasse inductus est loco Herodiani περὶ μον. λεξ. p. 219: τούτου (vocabuli scil. Φλύαρος) τινὲς ἐκτείνουσι τὸ α καὶ μάλιστα παρ' Ἀττικοῖς. Sed Herodianus fallitur; syllaba enim penultima, ut in Φλυαρεῖν ceterisque compositis, semper ubique longa est, ut recte in Thesauro observatur. Multam operam ad locum, qui grammatico illo assentiretur, inveniendum impendi; frustra tamen. Quare rescribendum est: Φλυαρότερα. — Similis error recurrit schol. ad vs. 1060.

Schol. ad vs. 103. (Dübn. p. 278. 5) μὴ ἀλλὰ πλεῖν ἢ μαίνομαι: μεταλαμβάνεται δὲ εἰς τὸ μὲν οὖν ἢ οὐκ· ἀλλὰ καὶ μᾶλλον. ἡ γὰρ μὴ ἀπαγόρευσις παρὰ τοῖς παλαιοῖς ἀντὶ τῆς οὐ ἀρνήσεως παραλαμβάνεται. Fortasse corrigendum est: τὸ γὰρ μὴ ἀπαγορεύσεως. Haec dicit: μή (cum imperativo) quod est vetantis apud antiquos etiam pro negatione usurpari, i. e. pro μὲν οὖν, *immo vero*, quod est obloquentis. Voc. ἀπαγόρευσις usurpatur quidem pro: *negatio* (cf. Hesych. s. v., Thom. M. s. v. ἑκὼν εἶναι), sed loco nostro ubi oppositum est voc. ἄρνησις minus quadrare haec notio mihi videtur. Dobraeum in prioribus haesisse video. Legi jubet [1]) . . . . εἰς τὸ μὲν οὖν ἢ οὐκ ἀλλά· ὃ καὶ μᾶλλον, „*quod rectius est*". Recte fortasse, sed annon necessarium sit dubito; in μὲν οὖν etiam negatio inest de qua verba facit annotator. Mihi quidem vulgatam retineri posse, mutata tantum interpunctione, videtur: μεταλαμβάνεται εἰς

1) Adversaria II. p. 166.

τὸ μὲν οὖν ἢ οὐκ, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον, in quibus posteriora praecedentium explicationem continent: *immo vero sive*, *non ita sed potius*.

Schol. Rav. ad vs. 121. θρανιτίων: θρανίτια ταπεινά τινα διφρίδια. | θρανίων: <θρανία τὰ> ὑποπόδια λέγονται.

In cod. legitur: θράνους καὶ θρανάτια· ταπεινὰ τινὰ διφρίδια καὶ ὑποπόδια λέγονται. Rutherfordi correctionem nimis audacem rejicio. Restituendum duco: θρανίου: θράνους, <θρανία> καὶ θρανίδια ταπεινά τινα διφρίδια <ἃ> καὶ ὑποπόδια λέγονται, quae vocabula proxime antecedant ea quae Ruth. in fine posuit: ἐφ' ὧν ἱστάμενοι <οἱ> ἀπαγχόμενοι ἀρτῶσιν ἑαυτοὺς, ἀπολακτίζοντες αὐτά. — Saepissime post voc. simplex in lemmate, in explicatione formae plurales occurrunt [1]. Formam θρανίτιον invenire nusquam potui, θρανίδιον (quod et etymologice bene se habet) est apud Poll. X. 47 cf. Suid. s. v. θρανίδιον, Etym. M. p. 453. 13. De neutro θρᾶνος cf. schol. ad Plut. 545, Eusthath. 1400. 24. — Mea correctione in ordinem recepta, Rutherfordi annotatio, qua contendit: *A variant in the plural* καὶ θρανίων, *or else simply* θρανιτίων, *is implied at all of this notes, except two*, inutilis videbitur.

Schol. Rav. ad vs. 133. ἐπειδὰν φῶσιν κτλ.: τοῦτο γνωριμώτερον ἔχει τὸν νοῦν· ἐπειδὰν οἱ θεώμενοι εἴπωσιν ἀφίετε, δηλονότι οἱ τρέχοντες, καὶ σὺ σαυτὸν <ῥῖψον κάτω>.

Ultima ex Suid. supplet Ruth. At vel sic scholium integrum non esse persuasum mihi est. Quid enim hoc loco comparativus significat? Scholiasta ut de variis modis quibus Dionysus ad inferos pervenire possit nunc cogitet, ita ut dicat tertiam illam viam, quam Hercules indicat, faciliorem esse ad cognoscendum quam antea indicatas, omnino fieri nequit. Egregie Dionysus

---

1) e. g. schol. ad Pac. 447, 901.

perspexerat quemadmodum frater sibi illuderet. Itaque ad variam lectionem scholium spectat, nihil aliud superest. Scholium ergo suppleri debere ut sensum praebeat, apparet. Verba suppletoria ex Ven. sume, haec fere restituens: <*τινὲς δὲ γράφουσι εἵητε* (vel potius cum Fritzschio *ἵετε*) *ἀντὶ τοῦ ἀφείητε* (*ἀφίετε*)>. *τοῦτο γνωριμώτερον κ. τ. λ.* Annotator, qui ipse apud poetam legerat *εἶναι*, haec dicit: Verbum *εἶναι* duplicem explicationem admittit, quia cum ei, a quo signum dari oportuit (sensu activo), tum ipsis cursoribus (sensu mediali) a spectatoribus inclamatum esse potest. Quam ambiguitatem lectio *ἵετε* tollit, siquidem pluralis forma ad ipsos cursores vocabulum referri ostendit.

Schol. Rav. ad vs. 134. In cod. haec sunt: *ἐγκεφάλου θρίω δύω: Ἀρίσταρχος πρὸς τὸ σχημά φησι τοῦ ἐγκεφάλου· ἔστι γὰρ ὥσπερ δύο θρία συγκείμενα. θρία δὲ τὰ τῆς συκῆς φύλλα· καὶ τὰ θρία δὲ οὕτως σκευάζεται. λέγεται δὲ ἀπὸ τοῦ κατειλεῖσθαι τοῖς τῆς συκῆς φύλλοις. ἡ δὲ σκευασία ἐστὶ στέαρ, μέλι, ᾠά, σεμίδαλις. εἰώθασι δὲ καὶ τὸν ἐγκέφαλον ὀπτᾶν κατειλήσαντες τοῖς τῆς συκῆς φύλλοις· ἢ μετὰ τῆς ἄλλης τοῦ θρίου κατασκευῆς ἢ καὶ μόνον. πρὸς ὃ καὶ παρέθηκε τὸ θρίον.*

Depravata haec esse nemo non videt. Permire autem Ruth. haec ita disponit: *Ἀρίσταρχος — συγκείμενα·* | *εἰώθασι — παρέθηκε τὸ θρίω* (pro *θρίον.*) | *τὰ θρία οὕτως σκευάζεται.* | *θρία τὰ τῆς συκῆς φύλλα.* | <*τὸ θρίον*> *λέγεται — φύλλοις*, deinde lacuna statuta: <*θρίον*   > *ἡ δὲ σκευασία — σεμίδαλις.* Quae bene locata sic non esse apparet cum e verbis: *εἰώθασι καὶ τὸν ἐγκέφαλον ὀπτᾶν*, quibus alius generis *θρίου* descriptio antecedere debet, tum ex his: *μετὰ τῆς ἄλλης τοῦ θρίου κατασκευῆς*, quae etiam, ut hujus cibi compositio antea exposita sit, postulant. Qua de causa lacunam etiam statuerit Ruth., non assequor neque magis quid suppleri debeat aut possit. Supervacuum enim erit inserere *ἔδεσμα* vel tale quid, cum e contextu de cibo quodam verba fieri satis appareat. Multo lenius locum corrigere mihi videor, verborum ordine servato, hoc modo: *Ἀρίσταρχος —*

φύλλα. | θρίω: τὰ θρία λέγεται — παρέθηκε τὸ θρίω. Sic omnia bene se habent, siquidem ultima recte interpretatus est Ruth.: *It is in allusion to this that the poet puts* θρίω *side by side with* ἐγκεφάλου. — Suid. s. v. θρῖα manifesto errore voc. Ἀρίσταρχος, quod omnes libri exhibent, omisit. — De alia hujus cibi conditi compositione cf. schol. ad Acharn. vs. 1101.

Schol. ad vs. 139 (Dübn. p. 278 b. 52) τυννουτωί: συνάγων τοὺς δακτύλους φησίν· ἀντὶ τοῦ μικρῷ. ὁμοίως δὲ καὶ τυτθόν, τὸ νήπιον, ἀντὶ τοῦ τιτθόν· τὸ ἔτι παρὰ τοῖς τιτθίοις καθεστηκὸς <βρέφος>.

Collato schol. ad Theocr. Id. I. 45: τυτθὸν κυρίως τὸ ἐπιτίτθιον βρέφος, παρὰ τὸν τιτθόν, ὃ σημαίνει τὸν μαζόν, in fine, ut saepius, aliquid excidisse existimans, addidi βρέφος [1]). Scholium explico: *eodem sensu etiam* τυτθόν, *infans, adhibetur, quod* (litera ι in υ mutata) *scribitur pro* τιτθόν *i. e. infans cui mater mammam adhuc praebet.* — Scholiastam falli vix est quod addam; graece recens natus audit: ἐπι — vel ὑποτίτθιον, nusquam τιτθόν.

Schol. ad vs. 140 (Dübn. p. 279. 3) δύ' ὀβολὼ μισθὸν λαβών: οὐχ ὡς τοῦτο λαμβάνοντος, ἀλλὰ πρὸς τὸν δικαστικὸν μισθόν, ὅτι δύο ὀβολῶν ἦν· ἅμα δὲ διὰ τὸ λεγόμενον ὅτι τοῖς νεκροῖς ἐπὶ τοῦ στόματος βάλλουσι δύο ὀβολοὺς καὶ ὅτι τὸ δικαστικὸν μισθάριον δύο ὀβολοὶ ἦσαν. ἐπιφέρει γοῦν; ὡς μέγα δύνασθον πανταχοῦ τὼ δύ' ὀβολώ. ἦν δὲ καὶ τριώβολον, τοῦτο τῶν στρατηγῶν κολακείας χάριν προστιθέντων. ἐπὶ δὲ Ἀριστοφάνους καὶ δραχμὴν ἦν λαβεῖν.

Eadem in Rav. legimus, nisi quod primam sententiam omittit, quocum consentit Suid. s. v. φεῦ. Ruth. haec disponit, lemmati δύ' ὀβολὼ μισθὸν λαβών adscribens: ὅτι τοῖς νεκροῖς — δύο ὀβολούς (verba ἅμα δὲ διὰ τὸ λεγόμενον delens), cetera lemmati: ὡς μέγα δύνασθον κ. τ. λ. Verba inde ab ἐπιφέρει tamen uncis conclusit. Hisce

---

1) Cf. Athen. IX. p. 396 e.: γαλαθηνὰ βρέφη.

vero violentis remediis locus non sanatur. Verba male disposita bene ordinari posse sic puto: Ad vs. 140 revoco: *οὐχ ὡς <αὐτοῦ> τοῦτο λαμβάνοντος <λέγει> — δύο ὀβολῶν ἦν*, post quae statim sequantur: *ἦν δὲ καὶ — ἦν λαβεῖν.* Ad lemma praeterea *Φεῦ* haec refero, ultimis transpositis: *ἐπιφέρει γοῦν ὡς μέγα δύνασθον. πανταχοῦ τὼ δύ' ὀβολώ· ἅμα διὰ τὸ λεγόμενον — δύο ὀβολοὶ ἦσαν.*

Pauca de priore scholio addam. Hemsterhusii sententiam, joci gratia pro uno duos obolos poni, ut judicum merces traducatur, jam refutavit Fritzsche[1]), cui v. Leeuwen assentitur, qui apte notissimum locum Apul. Metam. VI c. 18 sq., contulit. — Deinde, quod mercedem judicialem a praetoribus auctam esse dicit, ex Schol. ad Vesp. vs. 88 Cleonem hujus largitionis auctorem fuisse apparet. — Quod attinet ad verba: *ἐπὶ δὲ Ἀριστοφάνους καὶ δραχμὴν ἦν λαβεῖν*, fieri potest ut recte Fritzsche suspicatus sit scholiastam cum mercede judiciali confudisse drachmam, quam civibus pro triduo per quod certamina scenica fiebant, ex aerario publico tribuere mos erat. Sed a recta via eum aberrasse potius crediderim, inductum Scholio ad Vesp. vs. 658: *κἄξω τούτου: καὶ τὴν ἔξω διδομένην τοῖς δικασταῖς δραχμήν.* — De *θεωρικῷ* atque *δικαστικῷ* cf. Gilbert, Griech. Staatsalt. I² p. 383 sqq.

Schol. ad vs. 151 (ib. 33) i. f.: *ἢ Μορσίμου κτλ.: ἀντὶ τοῦ θανάσιμόν τινα λόγον <ἐξ>έγραψεν, οἷα νῦν πολλὰ γίνονται <ἐν> τοῖς φαρμακοῖς.*

Ex quibus manifestum est scholiastam jocum aliter intellexisse ac nos, quasi poeta facultati atque arti medicae Morsimi illuserit. Morsimum enim medici munere functum esse ex Schol. ad Equit. vs. 401 cognovimus. — Verisimile tamen mihi videtur variam lectionem hoc scholium indicare, ita ut fortasse legerit noster: *μόρσιμον ῥῆσιν*, quae verba ad carmina magica spectare duceret. —

---

1) Nunc denuo Hemsterhusium sequitur Roemer l. l. p. 191.

Ceterum antiquos oracula sibi exscribenda curasse etiam colligitur ex Av. vs. 982.

Schol. Rav. ad vs. 153. τὴν πυρρίχην κτλ.: Κινησίας διθυραμβοποιὸς ὃς ἐποίησε πυρρίχην. ἐν τοῖς χοροῖς πολλῇ κινήσει ἐχρᾶτο <ὁ Κινησίας>.

Sic. Ruth. edidit; in cod. vero ante ἐν τοῖς est ἥ. Haec locum suum hic non tenere Ruth. existimat et sensum aliquem tantum habere si ad vs. 1437 referuntur contendit. Cui non adstipulor; illo enim loco (fac versum spurium non esse) poeta Cinesiae corporis proceritati atque gracilitati illudit, hic vero propter nova, quae in rem musicam induxerit eum derideri, ut saepius [1]), manifestum est. Leniore correctione locus sanari potest, nempe scribendo: . . . ἣ ἐν τοῖς χοροῖς κ. τ. λ. Ex quibus efficere licet Atheniensibus Cinesiae pyrrichen, fortasse hoc ipso anno doctam (v. Leeuwen), propter nimiam agilitatem displicuisse, quippe qui, pro ingenio Attico, gravitatem atque sublimitatem aliquam etiam in saltationibus requirerent. In pyrriches, quae Panathenaeis saltabatur [2]), canticis semper aliquid gravitatis cum vigore conjunctum fuisse, cum propter ipsam saltationis armatae naturam necesse est, tum ex Athen. XIV p. 631 b. apparet: τακτέον δ' ἐπὶ τῆς πυρρίχης τὰ κάλλιστα μέλη καὶ τοὺς ὀρθίους ῥυθμούς.

Schol. ad vs. 168. (Dübn. p. 279 b. 14) τῶν νεκρῶν δηλονότι τῶν [ἐπὶ τὸ] ἀπελθεῖν μελλόντων εἰς τὸν Ἅιδην.

Quae inclusi delenda sunt; e textu irrepsisse vel ex alio scholio residua esse videntur.

Schol. Rav. ad vs. 177. ἐννέ' ὀβολούς: ἀντὶ τοῦ μίαν ἥμισυ δραχμήν. Quamquam hoc dicendi genus apud Atticos, quod sciam, non invenitur, nihil mutandum videtur coll. Prisciano II p. 395 (ed. Krehl): Δίδυμος ἐν τῷ περὶ τῆς παρὰ Ῥωμαίοις ἀναλογίας: Ἴωνες καὶ

---

1) Av. 1373 sqq., Nub. 333.
2) Nub. 988.

Ἀττικοὶ τὰ δύο ἥμισυ, ἥμισυ τρίτον φασὶ καὶ τὰ ἓξ ἥμισυ τάλαντα ἕβδομον ἡμιτάλαντον .... Καὶ καθόλου ὅταν βούλωνται ἀριθμόν τινα δηλοῦν καὶ μόριόν τι προσκείμενον τὸ ὁμώνυμον τοῦ ἀριθμοῦ ἀεὶ τοῦ πλεονάζοντος λαβόντες τὸ ὅλον φασὶν οἷον τὰ ἓξ ἥμισυ, ἕβδομον ἥμισύ [φασι], τοῦ ἑπτὰ ἕβδομον, ὃς μονάδι πλεονάζει τοῦ ἕξ, τὸ ὁμώνυμον λαβόντες. Ultima sic transpone: τοῦ ἑπτά, ὃς μονάδι πλεονάζει τοῦ ἕξ, τὸ ὁμώνυμον λαβόντες ἕβδομον.

Schol. Rav. ad vs. 180. ὠόπ: ἑλκτικὸν ἀπόφθεγμα τὸ ὠόπ.

Ruth. tacite ἀπόφθεγμα scripsisse pro ἐπίφθεγμα, quod in cod. est, miror. Valet enim illud: *breve ac sententiosum dictum*, nusquam vero: *acclamatio.* De voc. ἐπίφθεγμα cf. Suid. s. v. ὠόπ, Athen. XV. p. 696 e, schol. ad Ran. vss. 208, 1073, Lys. 1303, Av. 1395, ex quo scholio hic addendum esse suspicor: <κατάπαυσον τὴν κωπηλασίαν>, cui additamento vs. 208 obstare non videtur. Facile enim intellegitur eosdem sonos, licet non pari numero repetitos atque metro diverso editos, nunc ad cohibendos tunc ad adhortandos remiges usurpatos esse. Metro autem ὦ ὀπόπ vel, ut v. Leeuwen scripsit, ὠὸπ ὄπ (vs. 208), cum ῥυππαπαὶ congruit, quod teste schol. ad Vesp. vs. 909 adhortantis est acclamatio [1]).

Schol. Rav. ad vss. 185, 186. τίς εἰς ἀναπαύλας κτλ.: τοῦτο κηρύσσει ὁ Χάρων. ὡς τόπους καταλέγει. <ὡς> ὀνόματα τόπων κηρύσσει ὁ Χάρων. — vs. 186. τὸ λήθης πεδίον: Δίδυμός· [φησι] χωρίον ἐν Ἅιδου <δια>τετύπωκεν. | ἐς ὄνου πόκας: τὸ ἀδύνατον τῶν καθ' Ἅιδου δηλοῖ· ἀδύνατον γὰρ πόκας ἀποκείρεσθαι τῶν ὄνων· φαίνεται δὲ καὶ παροιμιῶδες ἤδη εἶναι.

Sic annotationem mire disjectam Ruth. edidit, ὀνόματα τόπων scribens pro ὄνομα τόπο, simul priora τοῦτο — καταλέγει, quae in cod. lemma εἰς τὸ λήθης πεδίον sequuntur, transponens ad vs. 185.

---

1) Obiter notandum est hunc metri consensum non facere pro Velsenii conjectura, ad vs. 208 bis scribentis: ὦ ὀπόπόπ.

Locum quoque mutaverunt verba τὸ λήθης πεδίον — <δια> τετύπωκεν, quae in scholii fine erant. Praeterea post καταλέγει cod. exhibet: ἐκ δὲ τοῦ δευτέρου καὶ τὸ ἀδύνατον τῶν καθ' Ἅιδου δηλοῖ τοῦ ἢ εἰς ὄνου πόκας, ἀδύνατον γὰρ κτλ.

Num recte haec ad vs. 185 trahat Ruth. dubito. Equidem verba ὄνομα τόπο<υ> ad vs. 186 pertinere credere mallem collatis Hesych. s. v. ὄνου πόκας et Suid. s. v. τίς εἰς ἀναπαύλας. Vs. 185 adscribo: τίς εἰς ἀναπαύλας: τοῦτο κηρύσσει ὁ Χάρων. ὡς τόπους καταλέγει. Ad totum vs. 186 haec affero: τὸ λήθης πεδίον: Δίδυμός φησι, χωρίον ἐν Ἅιδου <δια>τετύπωκεν. ὡς ὄνομα τόπο<υ> κηρύσσει ὁ Χάρων. ἐκ δὲ τοῦ δευτέρου, τοῦ: ἢ εἰς ὄνου πόκας καὶ τὸ ἀδύνατον τῶν καθ' Ἅιδου <πόνων> δηλοῖ. ἀδύνατον γὰρ κτλ. Restat ut insertum πόνων defendam. Ruth. vulgatam vertit: *expressing the inefficacity of any efforts directed against Hades.* Qui hoc sensu haec scripsit, eum sana mente fuisse nego. Immo nihili hic sunt, quod praesertim, si cum sequentibus haec jungimus, luce clarius apparet. Sententia restituitur recepto quod inserui. Annotatorem in mente habuisse notos illos labores Sisyphi, Tantali, Tityi mihi constat. cf. Hesych. l. l., Suid. s. v. ὄνου πόκαι, Eustath. p. 531. 9, schol. cod. Ven.: ἡ παροιμία δὲ λέγεται ἐπὶ τῶν ἀνηνύτων κτλ. — Simile fere proverbium Eustath. p. 787. 7 refert, scil.: ξυρεῖ λέοντα: ἐπὶ τῶν ἀδυνάτοις ἐπιχειρούντων, qui tamen contextum diversum esse recte observat.

Schol. ad vs. 187. (Dübn. p. 280. 25) ἢ 'ς Κερβερίους: περαιωθῆναι μὲν ἐκεῖ οὐκ ἔστι, κατάβασις δὲ εἰς Ἅιδου ἐκεῖ, ὡς μυθεύεται.

Cave ne a vs. 187 aliena haec putes. cf. Hom. Od. X. 508 sqq., XI. 14. — Minus accurate, me judice, ad vs. nostrum v. Leeuwen, schol. Rav. secutus, annotat: „*fictum hoc nomen* (Κερβερίους) *per jocum substituit comicus pro Cimmeriis*". Hoc nomen enim poeta non substituit, sed libere excogitavit quo populum fictum significaret. Quia in Orco Cimmerii non habitabant sed apud eos in

finibus terrae descensus tantum ad inferos erat, fingi non poterat Charon cymba sua ad Cimmerios appulsurus (ut ipsius Leeuwenii verbis utar, quibus codicum lectionem Ταίναρον pro Τάρταρον rejicit). Quod etiam videmus ex Hesych. s. v. Κερβέριοι: . . . ἔστι δὲ τόπος ἐν Ἅιδου [1]).

Schol. Rav. ad vs. 191. τὴν περὶ τῶν κρεῶν: διάφοροι γραφαί· οἱ μὲν κρεῶν <οἱ δὲ νεκρῶν>. [ὡς] Ἀρίσταρχός φησιν ἐπὶ τῶν σωμάτων λαμβάνεσθαι πολλάκις κτλ. In fine: τὴν περὶ τῶν νεκρῶν: αἰνίττεται τὴν περὶ Ἀργινοῦσαν ναυμαχίαν, ἣν διὰ τοὺς νεκροὺς ἠγωνίσαντο.

Nimis audacter hunc locum Ruth. tractasse mihi videtur. Nam et praeter necessitatem nonnulla inseruit, et sine justa causa alia praetermisit. Ultima in cod. sic leguntur: ἕτεροι δέ φασι αἰνίττεσθαι τὴν περὶ Ἀργινοῦσαν — ἠγωνίσαντο, τὴν δευτέραν γραφὴν αἱρούμενοι. Quibus servatis, ita ut οἱ μέν — ἕτεροι δέ sibi respondeant, leniore correctione sensus restitui potest. Propono: διάφοροι <αἱ> γραφαί· οἱ μὲν κρεῶν, ὡς Ἀρίσταρχος, <ὅς> φησιν ἐπὶ τῶν σωμάτων κτλ. Deinde i. f., deleto lemmate, quod ipse Ruth. adjecit: ἕτεροι δὲ <νεκρῶν>. φασίν αἰνίττεσθαι <αὐτὸν 'πρὸς> τὴν περὶ Ἀργ. — ἠγωνίσαντο <οἱ> τὴν δευτέραν γραφὴν αἱρούμενοι. Quamquam verbum αἰνίττεσθαι etiam sine praepositione usurpatur pro: *obscure significare*, coll. scholl. ad Plut. vss. 29, 48 et ipsius poetae verbis Eq. 1085, Av. 970, Pac. 47, inserui πρός, quod et ipse Ruth. in schol. ad Plut. 47 ex Ven. ascivit. Eodem modo usurpatur παίζειν πρός τι.

Ad vs. 206. v. Leeuwen annotat: „ἐμβάλῃς, scil. τὴν χεῖρα τῇ κώπῃ". Cui non assentior. Ellipsin objecti τὴν χεῖρα apud verbum ἐμβάλλειν statuere necessarium mihi non videtur. Neque

---

1) Apud Hesych. post verba allata haec sequuntur: Κερβέριος τρικάρηνος; novum glossema haec esse, ut adjectivum *Cerbereus* afferatur, recte conjecisse videtur Fritzsche.

locus Homeri, quem affert v. Leeuwen, documento esse potest neque magis Pind. Pyth. IV. 201: κάρυξε δ' αὐτοῖς | ἐμβαλεῖν κώπαισι τερασκόπος. Equit. 601: εἶτα τὰς κώπας λαβόντες ὥσπερ ἡμεῖς οἱ βροτοί | ἐμβαλόντες ἀνεβρύαξαν intransitive, ut mihi quidem videtur, verbum adhibetur: remis incumbentes, suppleri certe non potest τὴν χεῖρα. Neque facilius aliquid addi potest Xen. Hell. V. 1. 13 ubi absolute verbum ponitur pro: remigare. Primum dictum fuisse suspicor: ἐμβάλλειν ἑαυτόν, ita ut verbum postea intransitive adhibitum plane Latino: incumbere respondeat. — Alia composita lubet apponere. εἰσβάλλειν transitive usurpatur Soph. Aj. 60, Aesch. Prom. 1074, Herod. I. 1, Thuc. II. 76, VIII. 31, saepe autem objectum suppleri potest: Herod. I. 15, Thuc. I. 109. 2, II. 54. 5; his tamen locis intransitive accipi debet: Herod. V. 74, VIII. 27, Thuc. IV, 25. 8, VI. 70. 3, item ubi de fluminibus ponitur: Herod. I. 179, Thuc. I. 64. 4 e. a. Similia in verbo προσβάλλειν videmus. Aggrediendi vim habet: Herod. III. 155, 158, IX. 86, VII. 25, Xen. Anab. IV. 2. 11, Eur. Phoen. 724; alium sensum, intransitive positum, habet: Aristoph. Pac. 180, Soph. Trach. 580 (?), 844, Hom. Il. V. 879. — Sic συμβάλλειν significat manus conserere: Herod. I. 77, 80, 82. Hom. Il. XVI. 565, XXI. 578, alio sensu: Od. XXI. 15, Aesch. Choeph. 461, 677. — Sed jam satis ni fallor ad sententiam meam probandam.

Schol. Rav. ad vs. 216. Διόνυσον ἐν Λίμναισιν: Λίμναι τόπος ἱερὸς Διονύσου ἐν ᾧ καὶ οἶκος καὶ νεὼς τοῦ θεοῦ.

Verborum hanc conjunctionem ob tautologiam ferri non posse opinor cf. Etym. Gud. p. 499: ὁ ἐνδότατος τόπος τοῦ ἱεροῦ, ναὸς καὶ οἶκος, Hesych. s. v. ναός. Aut delenda sunt verba καὶ νεώς aut corruptum est οἶκος, pro quo reponendum conjicio: σηκός [1]). Perfacilis

---

1) De voc. σηκός cf. Pollux. I. 6; Valckenaer ad Ammon. p. 153 sqq.

haec corruptela est explicatu, quia saepe in codd. literae σ et ο vix distinguuntur. Cujus rei exemplum praebet schol. 62. — Templum hic indicatum memorat Thuc. II. 15. 4.

Schol. Rav. ad vs. 218. τοῖς ἱεροῖσι χύτροισι: χύτροι ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις· ἄγεται δὲ παρὰ ταύτην τὴν αἰτίαν, ἣν καὶ Θεόπομπος ἐκτίθεται γράφων οὕτως: * διασωθέντας οὖν τοὺς ἀνθρώπους ᾗπερ ἐθάρρησαν ἡμέρᾳ, τῷ ταύτης ὀνόματι προσαγορεῦσαι καὶ τὴν ἑορτὴν ἅπασαν.

Lacunam statuere si necessarium sit, quod, cum verba allata valde turbata sint, incertum duco, ex schol. ad Acharn. vs. 1076 explere possimus: <ἐκ τοῦ κατακλυσμοῦ>. Sensum tamen restitutum jam esse minime credo. Scholiastam de totis Anthesteriis cogitasse nemo perhibebit, cum et identidem ἑορτή de solo tertio festorum die adhibeat et in sequentibus de uno tantum die loquatur. Quod addit ἅπασαν, id explicatur schol. ad vs. 219. — Diem vero quendam fuisse qui Χύτρα vel tale quid audiret, non facile credam. De talibus dierum nominibus nihil, quod sciam, notum habemus. Itaque alteram lacunam statuo post ἡμέρᾳ iterumque verba omissa ex eodem scholio peto, scil.: ᾗπερ ἐθάρρησαν ἡμέρᾳ <ἑψῆσαι χύτρας πανσπερμίας καὶ> τῷ ταύτης ὀνόματι κτλ. Quae mox sequuntur: καὶ τῆς χύτρας ἣν ἕψουσι πάντες κτλ. pro additamento facere videntur. Denique schol. cod. G., quamquam non ipsis verbis a me restitutis, eandem sententiam praebet [1]).

Recte praeterea lacunae signum posuit Ruth. in his: θύειν αὐτοῖς ἔθος ἔχουσι τῶν μὲν Ὀλυμπίων θεῶν οὐδενὶ τὸ παράπαν, Ἑρμῇ δὲ χθονίῳ· . . . . τοῦτο δὲ ποιοῦσι τῇ * ἡμέρᾳ. Merae ineptiae enim sunt quae exhibet schol. cod. G.: ἡμέρᾳ δὲ τὰς χύτρας ἐκείνας ἦσαν ἕψοντες καὶ οὐ νυκτί. Quamquam per se verisimile videtur numerum quendam excidisse, nomine tamen mensis, quo dies festi celebrari

1) Cf. Zacher l. l. p. 545.

solebant, in toto scholio non indicato, inserendum esse conjicio: <μέση>, coll. schol. ad vs. 293. Nihil enim tribuendum videtur Herod. p. 473 (ed. Pierson), qui in usu esse contendit: μέσον ἡμέρας καὶ μεσημβρία, οὐχὶ μέση ἡμέρα. Saepius apud recentiores hoc invenitur [1]) sicut apud antiquos μέση νύξ. [2]).

Alia quoque testimonia consuetudinis inferiarum manibus offerendarum post meridiem afferri possunt. Eustath. ad Il. VIII. 66 annotat: τὸ γὰρ μεσήμβρινον τοῖς κατοιχομένοις ἀπένεμον εἰς χοάς, cf Etym. M. p. 468. 32. De heroum cultu, qui natura sua inferorum est cultus Diog. Laert. 8. 33 (ed. Cobet), dicit: ἥρωσι θύειν ἀπὸ μέσου ἡμέρας. cf. Roscher Lexic. d. Gr. u. Röm. Myth. I p. 2450 sq., p. 2512 sq.

Schol. Rav. ad vs. 230. κεροβάτας: Δίδυμός φησιν· ἤτοι ὅτι κέρατα ἔχει ἢ οἷον κερ<ατιν>οβάτης, τὴν βάσιν ἔχων κεράτινον.

Pro inaudita forma, quam restituit Ruth., scribendum puto: κερατοβάτης ex glossa Hesych.: κεροβάτης: κερατοβάτης, et praeterea: κερατίνην cum Dind. et Dübn.

Ib. (Dübn. p. 282. 23) ὁ καλαμοφθόγγα παίζων: ἐπεὶ σύριγγι ἥδεται ὁ Πάν, ἥτις ἐστὶν ἐκ καλάμων. ἠχώδη δὲ ἡδὺ ἀπὸ τῆς λύρας ἀνεπέμπετο ἢ ὅτι κάλαμος πάλαι ἀντὶ τοῦ κέρατος ὑπετίθετο τῇ λύρᾳ.

Postrema inde ab ἠχώδη cod. Rav. omisit. Dindorf annotat: „ἡδύ, *scribendum videtur:* ἢ διότι." Quaenam autem sententia sic restituatur, prorsus non capio. Ego scholium partim ad vs. 231, partim ad vs. 232 referri suspicor. Vs. 231, lemmati προσεπιτέρπεται adscribo: ἠχὼ δὴ ἀπὸ τῆς λύρας ἀνεπέμπετο [3]), deinde vs. 232 lemmati ὑπολύριον: ὅτι κάλαμος πάλαι ἀντὶ τοῦ κέρατος ὑπετίθετο

1) E. g. Herodiani Hist. VIII. 5. 23.

2) Cf. Lobeck ad Phryn. p. 53 sq.

3) Simili modo locum correxit Fritzsche, qui legit: ἠχὼ δὲ ἡδεῖα κτλ. Sed adjectivo ἡδεῖα locus esse hic non videtur.

τῇ λύρᾳ. — Fistulas et lyras etiam conjunctas habemus Hom. Il. XVIII. 495.

Schol. Rav. ad vs. 244. *φλέω: <φλέως> λοχμῶδες φυτὸν οὗ μνημονεύει Θεόφραστος παραδηλῶν ὅτι <ποτάμιος> βοτάνη ἐστὶν ὡς τὸ βούτομον.* Sic Ruth. supplevit ex Ald. Collatis tamen Theophr. Hist. Plant. IV. 10. 6: *φύεται δ' ἐν ἀμφοῖν καὶ ἐν τῇ γῇ καὶ ἐν τῷ ὕδατι ἰτέα, κάλαμος ..... κύπειρον, τύφη, φλέως, βούτομος· ἐν δὲ τῷ ὕδατι μόνον σίδη* et schol. ad Av. vs. 662, recipiendum existimo: *<παραποτάμιος>*. Num ex Ald., quae exhibet *πρόδηλον*, etiam assumendum sit *προδηλῶν*, dubito. Verbum enim *παραδηλῶν* optime hic non quadrat, Theophrasto in capite laudato de solis plantis aquaticis disserente.

Schol. Rav. ad 248. *πομφολυγοπαφλάσμασιν: πομφολυγ<οπαφλάσματα> αἱ φλυκταινώδεις δῖναι ἀπὸ τοῦ <πομφόλυγες καὶ τοῦ> παφλάζειν.* Ita textum correxit Ruth.; in cod. erat: *πομφόλυγες αἱ φλυκταινώδεις δίναι κτλ.* Mendum his inesse facile apparet, attamen falsa esse mihi videntur quae Ruth. restituit. Quid enim significet: *bullarum speciem praebentes gurgites*, equidem non assequor.

Schol. Ven. exhibet: *πομφόλυγές εἰσι τὰ ἐπαναστήματα τῶν ὑδάτων.* Itaque *πομφ.* sunt bullae, sive e fundo aquae emergentes sive quae imbris guttis in aquam cadentibus conspiciuntur. Collatis Suid. s. v. *πομφολυγοπαφλάσμασιν: ἐν ταῖς δίναις τῶν ὑδάτων* et Lucian. Char. 19, ubi haec leguntur: *ἤδη ποτὲ πομφόλυγας ἐν ὕδατι ἐθεάσω ἀνισταμένας; τὰς φυσαλίδας λέγω, ἀφ' ὧν συναγείρεται ὁ ἀφρὸς κτλ.* restituo: *πομφόλυγες αἱ φλυκταῖν<αι ὕδατος ἐν> δίναι<ς>*, quae verte: *πομφ. sunt bullae in aquae superficie quales in gurgitibus conspiciuntur.* — Etiam Etym. M. p. 682. 10 substantivum *πομφόλυξ* a verbo *παφλάζειν* derivatur.

Pauca nunc disseram de loco a multis viris doctis vexato, de vss. scil. 251 sqq. Praeeuntibus Hermanno et Fritzschio, v. Leeuwen quoque dicit vs. 253, nisi Dionysum remo ictus intendere ranis

sumamus, intellegi non posse. Cujus opinionis rationes me satis non perspicere libenter confiteor. Accedit quod, hac explicatione admissa, statuamus necesse est Dionysum ex quo ranas pulsare incipiebat, remigare desiisse[1]). Attamen, vs. 268, subito ad ripam ulteriorem pervenerunt! Minime autem perspicuum mihi est quid Charon, qui, ut v. Leeuwen ipse locum interpretatur, unum tantum remum ducit, per hoc longum temporis spatium fecerit. Neque magis Kockio assentior, qui ad vs. 253: *δεινά τ' ἄρα πεισόμεσθα*, glossam scholiastae Victoriani secutus, annotat: „nämlich wenn du uns in unserm Gesange stören willst." — Totum locum certamen esse coaxandi inter ranas et Dionysum probabile mihi videtur, in quo postremo ille ranas clamoribus suis superat. Cui sententiae vs. 262—268 luculentum argumentum addere puto. Quam ob causam iniquissimum Dionyso hujusmodi certamen futurum esset, ut Fritzsche contendit, non video; in theatro nos esse meminisse oportet. Neque inficetior haec scena ita fit; talia enim hodie quoque, praesertim in circis, identidem spectantur atque risum movent. — Recte deinde *οἰμώζετ'* vs. 257 Kock interpretatur: *Krächzet (d. h. Koaxet) immerfort*, i. e. ejuletis; male Fritzsche: „*vapulate*", perperam quoque mea quidem sententia v. Leeuwen: „*utinam male dispereatis*", qui ad verba *οὐ γάρ μοι μέλει* supplet: *ὑμῶν*. Respondent vero ranae: *ἀλλὰ μὴν κεκραξόμεσθά γ'*, ut potius cum aliis suppleas: *τῆς ὑμετέρας κραυγῆς*. — Ut revertar unde digressus sum, scholiastae assentior ad vs. 253 annotanti: *πάθοιμεν ἂν ἐκ τῆς βοῆς*, i. e. *secus nobis cadet*, *quia vociferabimur*, *donec dirumpamur*. Optime etiam nunc quadrant quae Dionysus respondet: *δεινότερα δ' ἔγωγ', ἐλχύνων | εἰ διαρραγήσομαι.*

Schol. Rav. ad vs. 259. *ἡ Φάρυγξ: θηλυκῶς τὴν Φάρυγα λέγει.*

---

1) Quod et ipse v. Leeuwen comprobare videtur, qui post vs. 268 annotat: „Pergunt remigando". Cf. Fritzschium ad vs. 254.

Praeter necessitatem in lemmate Ruth. scripsit *φάρυγξ*. Septem enim locis apud comicos *φάρυξ* invenitur. cf. Meineke Fragm. Com. cum indice Jacobi, ubi vide s. v. — Transeo ad scholium permire consarcinatum.

Schol. Rav. ad vs. 268. ἔμελλον ἄρα κτλ.: δεῖ νοεῖν ὡς οἱ βάτραχοι ὑπὸ σκηνήν εἰσι, ἀλλ᾽ οὐκ ἐν τῷ φανερῷ. ἡ μέντοι φωνὴ αὐτῶν ἐξακούεται ὥσπερ καὶ αὐτοὶ κατὰ τὴν λίμνην ἤχουσιν. ἐπεὶ οὖν διαλελοίπασι <βοῶντες> καὶ χορὸς ἐγεγόνει διὰ τοῦτο λόγον ἐποίσει ὁ Διόνυσος „ἔμελλον ἄρα ὑμᾶς παύσειν."

Quae si recte se habent, expectaveris: *γεγόνασι*. Verbum διαλείπειν, d e s i n e r e, semper, quod sciam, cum participio conjungitur, qua de causa inserui *βοῶντες*. — Priora usque ad ἤχουσιν quid hic sibi velint, plane me fugit. Quid causae est ut nunc tandem annotator sub scena ranas latitare nos admoneat et quid hic ad rem? Nihili prorsus hoc loco haec sunt. Ad vs. 210, ubi ranae cantare incipiunt, haec transponenda esse suspicor. — Ruth. sequentia etiam silentio praeteriise miror. Haec sunt: σιωπῶσιν οἱ βάτραχοι καὶ ἕτερος χορὸς εἰσέρχεται, ὡς προείπομεν, ὁ τῶν μυστῶν, ὅς ἐστιν ἀναγκαῖος. Cod. Ven. haec habet ad vs. 257, iterumque hic exhibet teste Dindorfio. Sed hic quoque non suo loco collocata sunt; chorus enim ante vs. 352 non introit itaque ad hunc vs. annotatio fortasse pertinet. Bene etiam sic tantum quadrant verba *ὡς προείπομεν*, quae ad schol. ad vs. 316 spectant, nisi fallor. Nusquam adhuc in scholiis cod. Rav. de choro verba facta sunt. — Ad vs. nostrum igitur haec tantum retineo: σιωπῶσιν οἱ βάτραχοι. ἐπεὶ οὖν — παύσειν; ad vs. 210 refero: δεῖ νοεῖν — ἤχουσιν, deinde ad vs. 352: ἕτερος χορός — ἀναγκαῖος.

Versus 265 nova interpretatio obiter notanda est. Blaydes et v. Leeuwen ediderunt: κεκράξομαι γάρ | κἂν δέῃ δι' ἡμέρας, ex conjectura Cobeti; Fritzsche, Kock vulgatam κἄν με δέῃ, per synizesin legendam, tuentur; Dindorf libros R. et V. secutus servavit: κἄν με δῆ.

Quam lectionem nunc rursus defendit Radermacher [1]), qui a verbo δέω, vincio, formam derivandam esse suspicatur. Vertit: *auch wenn man mich für einen Tag einsperrt.* En infelicissima conjectura!

Vs. 279 v. Leeuwen recepit Hamakeri conjecturam: οὖ τὰ θηρία | εἶναι τὰ δείν' ἔφασκεν, pro: τὰ δείν' ἔφασκ' ἐκεῖνος. Recte fortasse; quem tamen confert vs. 275 infirmum tantum argumentum praebet. Schol. Ven. ad hunc vs. exhibet: ἀντὶ τοῦ ὁ Ἡρακλῆς, ex quibus apparet scholiastam hic quoque pronomen in textu legisse, e. g. pro: οὓς ἔλεγεν ἡμῖν legerit: οὓς ἔλεγεν οὗτος.

Schol. Rav. ad vs. 286. ὅθεν αἰσθάνεται τοῦ ψόφου, ἐκεῖθεν ἄγει καὶ προβάλλει <τὸν Ξανθίαν>.

Si Ruth. sequimur opus est verbis quae inserui. Praestat tamen, me judice, a praecedentibus haec non secernere itaque legere: ὡς φοβούμενος Διόνυσος ταῦτα λέγει· ὅθεν αἰσθάνεται — προβάλλει <αὐτόν>.

Schol. ad vs. 291. (Dübn. p. 283 b. 15) φέρ' ἐπ' αὐτὴν ἴω: ὡς κατωφεροῦς τοῦ Διονύσου ἐπιτηδείως.

Voc. κατωφερής hic valere: *salax*, manifestum est. De hac tamen adjectivi significatione Phrynichus apud Lob. p. 439 ita judicat: ἐπὶ τῶν πρὸς ἀφροδίσια ἀκολάστων λέγουσιν οἱ πολλοὶ, οὐδαμῶς οὕτω τῶν δοκίμων χρωμένων. Et recte quidem ille; unum tantum locum, ubi nudum adjectivum usurpatur, inveni, scil. Diog. Laert. 4.40: φιλομειράκιός τε ἦν καὶ καταφερής. Praeterea Etym. M. p. 72.53 exstat: Ἀπολλόδωρος δέ φησιν· .... τῶν ἀρχαίων τινὲς τοὺς ἀκρατεῖς καὶ καταφερεῖς οὕτως λέγουσιν. Ex vocis compositione olim id significasse patet: *proclivis*, deinde improprie: *deditus alicui rei.* Et quamquam semper in malam partem adhibitum, de re venerea praecipue tamen in usu fuisse nusquam apparet. cf. Plut. Alex. 23: καταφερὴς πρὸς οἶνον, schol. ad vs. 838: κατωφερὴς εἰς συνουσίαν. Quapropter adjec-

---

1) Rhein. Mus. 27 p. 478.

tivum absolute adhiberi posse pro: *proclivis ad rem veneream*, valde improbabile mihi videtur. Pro hac mea sententia etiam facere opinor Phot. s. v. καταφερής: οὐχ ὁ ἄσωτος, ἀλλ' ὁ κάτω φερόμενος. cf. Hesych. s. v.; schol. ad vs. 127.

Schol. Rav. ad vs. 293. Lemmati πυρὶ γοῦν κτλ. Ruth. adscribit: ὅτι ἐξηλλάττετο τὴν μορφήν. Mihi probabilius videtur schol. referendum esse ad lemma: Ἔμπουσα τοίνυν ἐστί, ut quomodo Dionysus statim perspiciat, quod genus monstri sit, explicet.

Schol. Rav. ad vs. 294. ἅπαν τὸ πρόσωπον: τινὲς ὅλον πρόσωπον ἓν λέγουσι.

Post ὅλον Ruth. omisit τό. Sententia tamen ex his elici vix potest, neque video cur, si correctione opus sit, non ita corrigamus, ut sententia satis perspicua prodeat. Restituendum est: τινὲς τὸ ὅλον πρόσωπον ἓν λέγουσι, vel cum Ven.: τινὲς ἓν πρόσωπον <τὸ> ὅλον λέγουσι. — Proxime in cod. antecedunt: προενεκτέον ἐν ἐκτάσει τὸ α· σύνηθες γὰρ αὐτοῖς, quae Ruth. vs. 295, lemmati θάτερον adscripsit. Cui si assentimur, scholiastam vel pueris nota praedicare facimus, nec quidquam obstat, quominus hic (vs. 294) recte haec se habere adque lemma ἅπαν referenda esse contendamus. Dindorf ad voc. αὖρα, vs. 314, haec spectare suspicatus est, recte fortasse.

Schol. Rav. ad vs. 301. ἴθ' ᾗπερ ἔρχει: τοῦτο ἔμφασιν παρέχει ὡς προερχομένου αὐτοῦ πρότερον, ὄπισθεν τοῦ ἱερέως ὄντος.

Quae Ruth. anglice reddit: *this supplies an indication (of the order in wich they were walking) seeing that before this Dionysus walked in front, the priest being behind.* Perperam nisi fallor. Sic enim praeter necessitatem scholiastae falsa tribuit. Ex vs. 286 lucide apparet Xanthiam in pompae fronte fuisse. Praeterea non facile credam scholiastam tam stultum fuisse tamque male hujus scenae indolem intellexisse, ut Dionysum, paullo ante inanibus rumoribus fictisque monstris perterritum, subito tanta audacia

fuisse, ut prior nunc incesserit, in mentem ei venerit. Quas molestias tollere possumus, transposita tantum virgula ante πρότερον, ut annotator dicat e verbis laudatis colligi posse, Dionysum denuo procedere cum paullo ante post sacerdotem latuisset. cf. schol. ad vs. 297 (Dübn. p. 283. 36). Ceterum errorem scholiastae male sacerdotem pro fabulae persona habentis certatim editores refutarunt.

Schol. Rav. ad vs. 303. ὥσπερ Ἡγέλοχος κτλ.: Ἡγέλοχος τραγῳδίας ὑποκριτὴς ὃν καὶ ἐν τῷ Ὀρέστῃ Εὐριπίδου <φασὶ> προεκστάντος αὐτῷ τοῦ πνεύματος ἐν τῷδε τῷ στίχῳ: „ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλήν' ὁρῶ" <αἰφνιδίως ὀφθῆναι συνελόντα τὴν συναλοιφήν>.

Cum Fritzschio προεκστάντος pro προστάντος scripsit Ruth., ultima ex Ven. supplevit. Verbum tamen ὀφθῆναι in hoc contextu valde mihi displicet. Textum optime jam emendavit Mehler [1]), nisi quod parum probabile pro προστάντος proponit προδόντος, restituendo: οὐ φθῆναι. Quod etiam patet ex schol. ad Eur. Or. vs. 269: . . . οὐ γὰρ φθάσαντα διελεῖν τὴν συναλοιφὴν κτλ. (ubi pro οὐ scribendum est ὃν aut pro διελεῖν restituendum συνελεῖν.) Quod Ruth. vertit: . . . *was all at once observed to have completely neglected the elision*, id est de suo sententiam verbis indere, non interpretari.

ib. (Dübn. p. 284. 15) ὅτι Ἡγέλοχος . . . . . οὕτω προηνέγκατο ὥστε μὴ ὑποχωρῆσαι ἐκ τῆς συναλοιφῆς τὸ γαληνά, ἀλλὰ διαχωρῆσαι μᾶλλον, ὥστε δόξαι τὴν γαλῆν αὐτὸν εἰπεῖν.

Scholiastam haec fere voluisse liquet: Hegelochum elisione neglecta, i. e. vocabulis separatis, γαλῆν pronuntiasse pro γαλήν'. Attamen verba sana esse nego. Corrige: ὅτι Ἡγέλοχος . . . . . οὕτω προηνέγκατο τὸ γαληνὰ ὥστε μὴ συγχωρῆσαι ἐκ τῆς συναλοιφῆς, ἀλλὰ κτλ., i. e. *Quia Hegelochus voc.* γαληνά *ita pronuntiavit, ut elisione non in unum confunderetur (cum voc. sequenti), sed*

---

1) Mnemos. N. S. VI. p. 402.

dirimeretur potius, ut γαλῆν dixisse videretur. Equidem jocum, nisi hoc modo explicatum, non intellego: Hegelochum post γαλήν', spiritu deficiente brevem pausam fecisse, ut auditores γαλῆν audire putarent, cum γαλήν' ὁρῶ conjunctim fere pronuntiare debuisset. — Aliter Fritzsche judicat, Hegelochum maxima voce γαλῆν dixisse putans. Simul tamen elisionis significatione quadam opus esse contendit. Quam significationem in leni verborum conjunctione positam fuisse opinor. — De usu verbi συγχωρεῖν dubitavi. Valet tamen: coire: Eur. Iph. Taur. 124; cf. Hesych. s. v. σύγχυτο: συνεχύθη, συνεχωρήθη [1]).

Schol. Rav. ad vs. 308. i. f. ἐπυρρίχσε: πυρὸς γὰρ ἦν ὁ ἱερεὺς κατὰ φύσιν. Injuria, me judice, Ruth. codicis scripturam servavit; restituendum est: πυρρός, rufus. Adjectivum πυρός nusquam exstat nisi nonnullis locis scholiorum Aristophaneorum, scil. ad Ach. vss. 787, 1047. In hoc tamen scholio etiam forma πυρρός legitur. Praeterea Arat. 798 occurrit comparativus πυρώτερος, cui formae nihil tribuo, utpote metri causa fortasse fictae. —

Scholiis ad hunc vs. perlectis, jam statueram veram loci interpretationem haec non praebere (ut Kockii est opinio). Nuper autem in Leeuwenii commentario vidi virum doctissimum v. d. Sande Bakhuijzen aliter hunc vs. explicasse. Qui ὁδί interpretatur: ὁ πρωκτός. Quia tamen servus heri culum nunc cernere digitove indicare nequit, v. Leeuwen intellegit: ὁ κροκωτός, i. e. Dionysi vestis. Cui non assentior, maxime propter quae infra sequuntur, vs. 479 sqq. Multum haec scena leporis perdere, immo inepta fieri mihi videtur, si hic jam tale quid jocosum de hero suo Xanthias dixerit [2]). Praeterea de veste dici, metu rufum colorem eam sumpsisse, mihi haud ita placet. — Equidem suum ipsius

1) Apud Hesych. vero promotor meus v. cl. Vollgraff reponendum ducit: συνεχώσθη.
2) Cf. Roemer l. l. p. 28 sq.

culum Xanthiam indicare verisimile puto, ut sic benevoli sui animi atque amoris de hero solliciti luculentum documentum astute afferat. Admodum festiva oppositio insuper nascitur inter deum metu expallescentem (vs. 307) et servum eandem ob causam aliquatenus rubescentem. Fieri autem potest ut schol. Ven.: ἐκκαλύψας τὸ αἰδοῖον εἶπε τοῦτο, ad poetae mentem penetraverit, ut pote ab obscenissimis minime abhorrentis. — Leeuwenii versionem: *at pallium tuum vel nimium colorem sumpsit*, prorsus rejicio; voc. enim σοῦ praetermisit. Kockium sequor, qui praepositionem ὑπέρ cum σοῦ jungendam esse censet [1]).

Schol. ad vs. 320. (Dübn. p. 284 b. 26) ὅνπερ Διάγορας: ..... ὅθεν καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ..... ἀνεκήρυξαν τῷ μὲν ἀναιρήσοντι ἀργυρίου τάλαντον, τῷ δὲ ζῶντα κομίσαντι δύο.

Corrige: ἀναιρήσαντι. Aor. I etiam legitur Thesmoph. 761 cf. Etym. M. p. 777, 52. Saepissime in recentiore graecitate adhibetur, quamquam Phryn. apud Lob. p. 716 dicit: ὑπεξαιρῆσαν ἀντὶ τοῦ ὑπεξελὸν ἀνελλήνιστόν ἐστι. καθόλου γὰρ τῶν διὰ τὸ αἱρῶ περισπωμένων ῥημάτων οἷον καθαιρῶ, ἀναιρῶ ..... ἐκλέλοιπεν ὁ πρῶτος ἀόριστος. Qua de causa Lobeck versum ex Thesmoph. allatum in controversiam adduxit eumque totum spurium vel aliud verbum quaerendum esse arbitratur [2]).

Schol. Rav. ad vs. 324. (alt. schol.) πολυτιμήτοις ἐν ἕδραις κτλ.: καθὸ φιλοτιμότεροί εἰσιν οἱ μεμυημένοι ἐν Ἅιδου ὡς σαφὲς ποιεῖ ἐν τῇ Εἰρήνῃ: δεῖ γάρ μυηθῆναί με πρὶν τεθνηκέναι.

Haereo in φιλοτιμότεροι. Ruth. tacite vertit: *are held in greater honour*, qui sensus certe requiritur; inaudita tamen haec adjectivi notio mihi est. cf. vs. 678. Fortasse reponendum est: καθὸ φιλοῦσι τιμιώτεροι εἶναι vel καθὸ πολυτιμιώτεροί εἰσιν

---

1) Cf. Soph. Antig. 82, Aesch. Sept. 290.

2) Proposuit συνεξενήρατο Bergk, διεχρήσατο Meineke, ἀπεχρήσατο v. Leeuwen,

κτλ.: *quia initiati majore honore apud inferos affici solent (scil. quam qui initiati non sunt)* [1]).

Schol. ad vs. 338. (Dübn. p. 285 b. 13) ὡς ἡδὺ κτλ.: τοῦτο δὲ εἶπε διὰ τὸ χοιροσπαθεῖν τοῖς Θεσμοφορίοις. θύουσι γὰρ ἐν τοῖς μυστηρίοις τοῦ Διονύσου καὶ τῆς Δήμητρος τὸν χοῖρον, διότι λυμαντικός ἐστιν ἀμφοτέρων.

Emenda: διὰ τὸ χοιροσφαγεῖν cf. Hesych. s. v. χοιροσφάγος: θύτης. Ultima quam vim habeant, altera scholii pars, quae abest a Rav. et Ven. codd., plenius exponit: . . . . χοῖροι τῇ Δήμητρι καὶ τῷ Διονύσῳ ἐθύοντο ὡς λυμαντικοὶ τῶν θεοῖν δωρημάτων [2]).

Schol. Rav. ad vs. 343. νυκτέρου: ἐπεί τινα νύκτερα λέγει αἰνιγματώδη. διὰ τὸ λαθεῖν τοὺς ἀμυήτους. ὅτι ἐν νυκτὶ ἄγεται τὰ μυστήρια [1]. φωσφόρος ἀστήρ: τὸ μυστηριακὸν πῦρ φωσφόρον λέγουσι.

Sic Ruth. nimis violenter, mea opinione, textum constituit. Adde quod quae restituit propter obscuritatem ne speciem quidem veritatis habent. In cod. haec sunt: φωσφόρος ἀστήρ: τὸ μυστηριακὸν πῦρ. φωσφόρον λέγουσι. λέγει δὲ ἐπεὶ τινὰ νυκτὸς λέγει αἰνιγματωδῶς. διὰ τὸ λαθεῖν τοὺς ἀμυήτους· ἢ ὅτι ἐν νυκτὶ ἄγεται τὰ μυστήρια. Haec lenius corrigi posse credo hoc modo: φωσφόρος ἀστήρ:, τὸ μυστηριακὸν πῦρ. φωσφόρον λέγουσιν ἐπεὶ διὰ νυκτὸς <τὰ μυστήρια ἄγεται>. λέγει δὲ αἰνιγματωδῶς διὰ τὸ λαθεῖν τοὺς ἀμυήτους. Verba inserta ex fine scholii sumpsi, qui post schol. jam depravatum additus videtur. Ultima verte: *Obscure autem significat ne qui initiati non sunt, quid haec sibi velint, intellegant.* — De hoc praepositionis διά usu cf. schol. ad Nub. vs 984, ad Pac. vs 21, ad Acharn. vs 892.

Schol. Rav. ad vs. 350. ὑπὸ τιμᾶς: τῷ ῥυθμῷ· προβάδην: προβαίνων. Sine idonea causa Ruth. haec distraxit; in cod. est: προβαίνων τῷ ῥυθμῷ, quae ad lemma προβάδην optime quadrant. [3]).

---

1) De re cf. Plat. Phaed. 69 c; Hom. Hymn. Cer. 480.

2) Cf. Ovid. Met. XV. 111, Fastt. I. 349, Verg. Georg. II. 380, Preller Gr. Myth. I⁴ p. 796.

3) cf. Roemer l. l. p. 169.

Schol. ad vs. 357. (Dübn. p. 286.50) μηδὲ Κρατίνου: τινὲς βούλονται τὴν Φιλονεικίαν αὐτοῦ δηλοῦσθαι ἐκ τοῦ ταυροφάγου, ὅ ἐστι Διονύσου.

Lege: Φιλοινίαν cf. Suid. s. v. Κρατῖνος.[1]).

Schol. Rav. ad vs. 358. βωμολόχοις: ἀπὸ τῶν λοχώντων περὶ τοὺς βωμοὺς καὶ βουλομένων τι λαβεῖν μετενήνεκται ἡ λέξις. | βωμολόχοις: <κυρίως βωμολόχοι οἱ> ὑπὸ τῶν βωμῶν <καθίζοντες οἱ> πολλὰ λιπαροῦσι κολακεύοντες λαβεῖν τι παρὰ τῶν θυόντων.

Recte ex Ven. pro περί Ruth. recepit παρά. Ceterum haud ita pauca sine ulla causa inseruit. In cod. alterum schol. incipit: οὗτοι γὰρ ὑπὸ τῶν βωμῶν κτλ. quae optimam sententiam praebent[2]).

In *vs. 359* vulgo legitur: ἢ στάσιν ἐχθρὰν μὴ καταλύει, μηδ' εὔκολός ἐστιν πολίταις. v. Leeuwen, Blaydesium secutus, praetulit, id quod exhibent codd. Ambr. et Paris.: πολίτης, quia in vulgata articulus praemittendus fuisset. Attamen optimorum codd. lectionem defendi posse puto, immo sub ipso hoc πολίταις aculeum latere suspicor. Poeta seria jocosis inmiscens adversarios in parodo exagitat. Sic viri docti ad Cleophontem haec spectare ad unum omnes consentiunt. Ex vss. 679, 1532 autem ingenuum civem eum non fuisse luculenter patet. Itaque hic quoque consulto his verbis poetam usum esse, ut clarius etiam, quem indicaret, appareret, persuasum mihi est. Majore vocis vi si voc. πολίταις pronuntiatur, oppositio inter cives et alienigenam nascitur. Vertere fere possumus: „*neque comiter se gerit idque erga cives*", nos: *tegenover burgers*, non: *medeburgers*. — Consimilem locum articulo omisso habemus Eur. Med. 223: οὐδ' ἀστὸν ᾔνεσ' ὅστις αὐθάδης γεγὼς | πικρὸς πολίταις ἐστὶν

---

1) De Cratino potatore cf. schol. ad Pac. vs 702, ad Equit. vs 400 (quod exscripsit Suid. s. v. κώδιον) et epigramma apud Athen. II p. 39 c.

2) De hoc mendicorum genere cf. Poll. III. 111, schol. ad Nub. vs 910, Equit. vs 901, Platonis Reipubl. X c. 7, Suid. s. v., Hesych. s. v. Apud Hesych. haec legimus: βωμολόχος: .... παρὰ τὸ λοχεῖν εἰς τοὺς βωμούς, ὅ ἐστιν ἐνεδρεύειν. Rescribe sis: παρὰ τὸ λοχεύειν κτλ. cf. ibidem s. v. λοχεύοντες: ἐνεδρεύοντες, Pac. 1014.

ἀμαθίας ὕπο. — Quod ad sententiam, saepissime legimus advenas modeste atque demisse se gerere oportere [1]) itaque semper se gerunt qui apud Homerum audiunt ξεῖνοι αἰδοῖοι.

Schol. Rav. ad vs. 372. χώρει νυν κτλ.: Ἀρίσταρχος ἀπὸ τούτων λέγει τὸν χορὸν μεμερίσθαι.

Hoc schol. vs. 354 adscriptum erat, Fritzschium autem secutus huc transposuit Ruth., simul schol. ad vs. 372: ἐντεῦθεν Ἀρίσταρχος ὑπενόησεν μὴ ὅλου τοῦ χοροῦ εἶναι τὰ πρῶτα. τοῦτο δὲ οὐκ ἀξιόπιστον. πολλάκις γὰρ ἀλλήλοις οὕτω παρακελεύονται, referens ad vs. 377. Quod utinam non fecisset. Infirmo enim, me judice, argumento ad defendendam opinionem suam Fritzsche nititur, duabus scil. incertissimis conjecturis, quas fecit in scholl. ad vs. 354 et vs. 372, quae scholia cod. Rav. partim omisit.

In priore schol. haec sunt: Ἀρίσταρχος ἀπὸ (pro ἐπὶ) τούτων λέγει τὸν χορὸν μεμερίσθαι εἰς μερικὰ ἀνάπαιστα, ἄλλα δέ ἀμείβεσθαι τὸν χορόν. Pro quibus rescripsit .... ἀ λ λ' ἔ μ β α δὲ ἀμείβεσθαι κτλ. Quid autem sint μερικὰ ἀνάπαιστα, in quae chorus dividitur, nemo, nisi fallor, intelleget neque magis qui priora et sequentia inter se opponantur. Multo melius in commentario ad vs. 354 v. Leeuwen locum redintegravit: .... μεμερίσθαι ε ἰ ς μ έ ρ η · β̄. <καὶ τὸν μὲν κορυφαῖον λέγειν τ>ὰ ἀνάπαιστα κτλ. In altero schol. haec leguntur: πολλάκις γὰρ ἀλλήλοις οὕτω παρακελεύονται οἱ περὶ τὸν χορόν. ἔτι ὁ χορὸς τὸ ἄλλο μετὰ τοῦ χοροῦ. Ultima Dind. et Dübn. ejecerunt, Fritzsche correxit: ἔ σ τ ι δὲ κ α ὶ τ ὸ χ ώ ρ ε ι (vs. 372) ὡ ς τ ὸ ἀ λ λ' ἔμβα (vs. 378) τοῦ χοροῦ, nimis audacter suspicioni suae locum ita accommodans.

Fritzschii conjecturis rejectis omnino non video, cur schol. Rav. ad vs. 354 locum suum tenere negemus. Hoc unum contendit, Aristarchum annotasse nunc, post introitum in orchestram, in duo

---

1) cf. praeter l. l. Euripidſs, Aesch. Suppl. 917, Soph. Oed. Col. 171, 184 sqq., 927.

hemichoria chorum dividi. Unde tamen hanc scientiam hausit Aristarchus? Rectissime v. Leeuwen contendit schol. ad v. 372 perperam huic vs. adscriptum esse idque pertinere ad vs. 370. Haec tamen cum schol. ad vs. 354 cohaerere sic non possunt, nisi quis Aristarcho absurde affricare velit, eum chori parti anapaestos tribuisse. Hiatum in schol. ad vs. 354 post μεμερίσθαι statuere necesse est, ut exciderint fere quae Ven. exhibet, ex Leeuwenii conjectura restituta. — Opponuntur inter se universus chorus et chori dux, non chori partes, quod luculentius etiam pateret deleto voc. ὅλου, quod post schol. ad vs. 354 decurtatum additum esse potest. — Ad vs. 372 tantum retinendum videtur quod exhibet Rav.: οἱ τοῦ χοροῦ μύσται ἀλλήλοις παρακελεύονται.

Schol. ad vs. 397 (Dübn. p. 287 b. 17) μεμιγμένως λέγει τὰ μὲν πρὸς τὸν Ζαγρέα Ἴακχον, τὰ δὲ πρὸς τὸν Διόνυσον.

Haec nominum conjunctio nusquam, quod sciam, invenitur neque admittenda videtur. Teste Hesych. s. v. Ζαγρεύς hoc cognomine appellabatur ὁ χθόνιος Διόνυσος. Hic igitur a Iaccho, mystico deo Eleusiniorum [1]), qui a clamoribus orgia celebrantum nomen duxit, distinguendus est. Transponendum est: . . . . τὰ μὲν πρὸς τὸν Ἴακχον, τὰ δὲ πρὸς τὸν Ζαγρέα Διόνυσον [2]).

Schol. Rav. ad vs. 401 πολλὴν ὁδόν: εἴρηται γὰρ ὅτι ἐξ ἄστεος μέχρι Ἐλευσῖνος πορεύεται.

Vs. 402 autem Ruth. adscribit quae in cod. legebantur ad vs. 400: ἄνευ πόνου: τοῦτο ἐπεὶ ὁδεύουσιν ἀπὸ τοῦ Κεραμεικοῦ εἰς Ἐλευσῖνα προπέμποντες τὸν Διόνυσον. Attamen scholiis ita dispositis verba εἴρηται γὰρ locum suum non tenent. In praecedentibus enim itineris, quod mystorum pompa conficere solet, mentio facta

---

1) Cf. schol. ad vs. 324, 479.

2) De Dionyso Zagreo cf. Preller l. l. I⁴ p. 686, 705, de Iaccho ib. p. 792 sqq.

non est. Itaque cum Dindorfio facio, qui hoc schol. refert ad lemma συνακολούθει, vs. 398.

Hoc loco, ubi in cod. Rav. erat τὰς Κεραμικάς, ex Ven. ascivit Ruth.: τοῦ Κεραμεικοῦ. In scholiis vero ad vss. 129 et 131 formam Κεραμικός retinuit. Equidem, ut sibi constet scriptura, illic etiam formam Κεραμεικός restituendam esse opinor [1]).

Schol. Rav. ad vs. 404. i. f. σὺ γὰρ κατασχισάμενος κτλ.: κατηρτίσω καὶ σχιστὰ ὑποδήματα φορέσαι ἐποίησας.

His verbis in cod. antecedunt: ἢ οὕτως, quae Ruth. omisit. Ridiculum tamen est de Dionyso dici, quae Ruth. vertit: *you provided and made us wear torn shoes*, tamquam ipse deus calceos laceros mystis praebuisset. Alium etiam verborum ordinem expectaveris. Fortasse verba sic ordinare praestat: κατεσχίσω ἐπὶ γέλωτι: οὕτως κατηρτίσω, i. e. *sic (risus scil. excitandi causa) nos exornasti.* Deinde: κατεσχίσω τὸν σανδαλίσκον: σχιστὰ ὑποδήματα φορέσαι ἐποίησας.

Schol. Rav. ad vs. 405. ἐπ' εὐτελείᾳ: ἐπὶ εὐδαιμονίᾳ, παρὰ τὸ εὖ τελεῖν.

Ruth. in annotatione: *perhaps the latter may refer to a reading* ἐπ' εὐπελείᾳ, *in wich case* πέλειν *would replace* τελεῖν. Variam lectionem hic latere mihi quoque probabile videtur sed scholiastam legisse conjicio: ἐπ' εὐθενείᾳ, itaque scripsisse: .... παρὰ τὸ εὐθενεῖν. Cf. Hesych. s. v. εὐθενεῖν: εὐπαθεῖν. Sic etiam facilem explicationem habet quam ob causam vocis etymologiam librarius addiderit, quia scil. forma εὐθένεια rarissima est. Unum tantum exemplum in inscriptione quadam inveni, C. I. G. 5973. In usu semper fere sunt εὐθηνία et, teste Herwerdeno in Lex. Suppl., εὐθενία [2]). — Quod Ruth. suspicatur: εὐπελεία, id nusquam occurrit, neque magis verbum εὐπέλειν. Occurrunt apud Hesych. s. v.

---

1) Cf. schol. ad vs. 1096, ad Av. vs. 395, Bekker Anecd. II. p. 577. 30.

2) De verbi forma cf. Phot. s. v. εὐθενεῖν: ἐν τῷ ε λεκτέον, οὐχὶ εὐθηνεῖν, Thom. Mag. s. v.; Dobree Advers. I. p. 368; v. Herw. Exerc. Crit. p. 147, Lex. Suppl. s. v.

et in Etym. M. p. 390. 40 formae εὐηπελία et εὐηπέλεια. cf. Callim. Cer. vs. 136.

Schol. ad vs. 407. (Dübn. p. 287 b. 48) ὅτι σύνηθες ἦν τὸ ἐπιλέγειν, ὁπότε ἐπαινοῖέν τι ἢ συνομολογοῖεν, καὶ Εὔπολις Κόλαξι. καὶ ἐν τοῖς πρόσθεν κεῖται.

Se nescire quid hoc loco schol. sibi velit Dindorf profitetur. Et profecto hic nihil ad rem. Ad ephymnium, vs. 408, referendum id esse Fritzsche autumat, legens: .... τὸ αὐτὸ ἐπιλέγειν. Quam vero sententiam sic habeant verba: ἐπαινοῖεν τι ἢ συνομολογοῖεν, equidem non capio; nihil enim hic laudatur aut conceditur. Praeterea satis puerilis annotatio esset; saepissime enim in canticis ephymnia occurrunt. Meineke, (Fragm. Com. II. p. 1. pag. 498), Dindorfium secutus, hoc schol. rettulit ad vs. 508: κάλλιστ' ἐπαινῶ. Perperam, nisi fallor, quia haec sunt verba Xanthiae convivium blande renuentis, itaque verba: ἢ συνομολογοῖεν explicari nequeunt. — Ad vs. 415 annotationem pertinere mihi quidem persuasum est, itaque legendum esse opinor: ὅτι σύνηθες ἦν <τοῦ>το ἐπιλέγειν, vel: τὸ <πρὸς> ἐπιλέγειν [1]).

Ultima ad vs. 611 fortasse spectant. Teste enim Lobeckio ad Phryn. p. 11 sqq. saepius ἐν τοῖς πρόσθεν valet: infra. cf. schol. ad Ran. 501, 1440, Hesych. s. v. Ἴωνες: .... ζήτει ὄπισθεν, ubi lectorem ad voc. Ἰάονες relegat.

Schol. Rav. ad vs. 427. Σεβῖνον: πέπλασται αὐτὸ ὥσπερ ὁ σὲ βινῶν. οὕτως καὶ τὸ Ἀναφλύστιος. ἀναφλᾶν γὰρ ἔλεγον τὸ μαλάσσειν τὸ αἰδοῖον. Priora si recte restituit Ruth. (in cod. erat ὥσπερ ὁ Σεβῖνος), in sequentibus etiam legendum erit quod etymologia flagitat: Ἀναφλάστιος. Sic. v. Herwerden textum jam emendavit [2]).

---

1) De hoc adverbiali usu praepositionis πρός cum quadam affirmandi vi in fine versus positae cf. Pac. 19, Aesch. Prom. 73, Eur. Phoen. 610, Krüger Gr. Gr. § 59. 1, Buttmann Gr. Gr. 147 anm. 5.

2) Cf. Ruth. ad schol. 507.

Ad vs. 431 sq. ΔΙΟΝ. ἔχοιτ' ἂν οὖν φράσαι νῷν

Πλούτων' ὅπου ἐνθάδ' οἰκεῖ;

Jam dudum hunc locum mendo laborare persuasum mihi erat. In voc. οὖν haerebam, quod hoc loco, ubi nihil concluditur, accommodatum non esse liquet. Correctionem tamen probabilem non inveniebam. Nunc speciosam emendationem, quam defendere non dubito, reperi Herwerdeni in Halbertsmae Advers. Crit., ab eo edita. Ubi in annotatione ad vs. nostrum legendum esse suspicatur: ἔχοι τις ἂν φράσαι νῷν κ. τ. λ.

Schol. Rav. ad vs. 456. μεμυήμεθα: μυστήρια ἐκλήθη παρὰ τὸ τοὺς ἀκούοντας μύειν τὸ στόμα καὶ μηδενὶ ταῦτα ἐξηγεῖσθαι. [μύειν δέ ἐστι τὸ κλείειν τὸ στόμα].

Cum Ruth. haec delere fortasse necesse non est. Talia enim additamenta, quibus ipsum verbum, a quo voc. in lemmate derivabant scholiastae, explicatur, non ita rara sunt [1]). Substantivum vero τὸ στόμα, quod et Suid. s. v. μυστήρια omisit, eum qui ultima subjecit, in prioribus non legisse, ipsum additamentum arguit. Neque desideratur cf. Etym. M. 295. 49: . . . . ἃ δεῖ μύσαντας τηρεῖν ἔνδον. — Scholiastam nunc tandem, ubi poeta mysteria et mystos identidem jam nominavit (vss. 159, 314, 336, 370) et ipse jam ad vs. 159 eorem mentionem fecit, vocabuli etymon dare, praesertim cum in verborum contextu vox non occurrat, est quod miremur.

Schol. Rav. ad vs. 469. ἔχει: οὕτως Ἀττικοὶ τὸ ἔχῃ ἀπὸ τοῦ ἔχομαι δευτέρου προσώπου.

Immo: δεύτερον πρόσωπον. Cf. schol. ad vs. 636. Post ἔχῃ virgula est distinguendum [2]). —

Schol. Rav. ad vs. 475. Ταρτησία: παρὰ τὴν Ἄορνον λίμνην.

---

1) E. g. vide schol. ad Ran. vs. 138; Nub. 265; Plut. 435 etc.

2) De formis in -ει cf. Buttmann Gr. Gr. p. 107 sq.; Zacher Philol. suppl. VII, p. 473 sqq.

Minus recte Ruth. vertit: *in travesty of lake Avernus.* Verte potius: *spectat ad, in memoriam revocat lacum Avernum.* Expectaveris πρός, quod fortasse restituendum est; inversa ratione πρός pro παρά in cod. est schol. ad vs. 405, περί pro πρός schol. ad vs. 1517 (?), περί pro παρά schol. ad vss. 350, 819 (?)[1]. Dind. et Dübn. cum praecedentibus haec jungentes absurde legunt: ἡ Τάρτησος Ἰβηρικὴ πόλις περὶ τὴν Ἄορνον λίμνην. cf. Suid. s. v. Ταρτησσός.

Schol. Rav. ad vs. 477. Γοργόνες Τιθρασίαι: τὸ Τιθρασία ἀπὸ δήμου τῆς Ἀττικῆς [πονηροῦ]· οὐκ εἰκῆ δὲ τοῦτο εἶπεν, ἀλλ' ἐοίκασι τὸν δῆμον τοῦτον διαβάλλειν ὡς κακοπράγμονα.

Adjectivum πονηροῦ minus apte hic se habet. Quo addito jam statim perspicuum fit cur poeta ab hoc potissimum demo comice nomen derivaverit neque ulla amplius explicatione opus fuerat. Vero autem simile mihi videtur voc. πονηροῦ nomen proprium loco movisse, scil. Τίθραντος. — Forma Τειθρασία cum Leeuwenio propter codicum testimonia recipienda videtur[2])

Schol. ad vs. 479. (Dübn. p. 290. 18) ἄλλως. κάλει θεόν: πρὸς βοήθειαν κάλει θεόν. οὐ γὰρ Διόνυσός θεὸς ἦν, ὅτι εἶπεν αὐτῷ κάλει θεόν. τοῦτο δὲ ὡς ἐν κωμῳδίᾳ πέπλασται.

Corruptum hunc locum v. Leeuwen[3]) optime jam correxit, qui ante τοῦτο interrogandi signum scribi jussit.

Schol. ad vs. 481 ὠρακιῶ: * ὥρα γὰρ ἡ Φροντίς, ἐκ δὲ Φροντίδος ἐκλύεταί τις. | ὠρακιῶ: Φροντίζω.

Lacunam sagaciter statuit Ruth., simul transponens Φροντίζω, quod antecedebat. Integrum schol. tum demum esset, si ratione inversa in lemmate positum esset Φροντίζω, in explicatione vero

---

1) De praepositionum compendiis confusis cf. Cobet Var. Lectt. p. 270 sqq.; v. IJzeren. De vitiis quibusdam principum cod. Aristoph. p. 75 sqq.

2) Cf. C. I. G. 115, 175.

3) Mnemos. 24 p. 339.

ὠρχκιῶ. Lacuna expleri potest: <λιποψυχέω> cf. Etym. M. p. 823. 35; Hesych. s. v. ὠρχκιᾶν; schol. ad Pac. vs. 702.

Schol. ad vs. 487 (Dübn. p. 290. 43) πῶς δειλός: τοῦ γὰρ δειλοῦ τὸ οἰκεῖον σιωπᾶν, οὐ τὸ λαλεῖν.

Transpone: τοῦ γὰρ δειλοῦ οἰκεῖον τὸ σιωπᾶν κτλ. Quod exhibet Ven.; errorem ipsi Dindorfio debemus.

Schol. Rav. ad vs. 498. φέρε δὴ ταχέως κτλ.: οὐδαμῶς, φησίν, ὀφείλεις λέγειν, ἀλλὰ καὶ διδόναι, ἵνα σοι πιστεύσω ὅτι ἀληθῶς ἐπαγγέλῃ μοι αὐτὰ διδόναι.

Rescribe: οὐ <μόν>ως, φησίν, κτλ. cf. schol. ad vs. 1408 (ubi pro: οὐχ ὡς μόνον συμποιοῦντος lege: οὐ μόνον ὡς κτλ.). Adv. μόνως etiam legitur schol. ad Av. 946, ubi sine idonea causa Ruth. textum mutat. cf. schol. ad vs. 35, Suid. s. v. καтάβα etc. Verborum autem conjunctionem οὐδαμῶς — ἀλλὰ καὶ nusquam me legere memini. Perperam Ruth. etiam servavit ἐπαγγέλῃ; recte Dind. et Dübn. receperunt ἐπαγγέλλῃ (Indic.) cf. Krüger Gr. Gr. II. 57. 15.

Schol. Rav. ad vs. 499 Iterum injuria cod. Rav. Ruth. secutus est. Edidit: Ἡρακλειοξανθίαν: . . . . παραπλήσια δὲ ὅπλα τῶν Ἡρακλέους εἶχεν. Emenda e Ven.: τοῖς Ἡρακλέους. Adjectivum semper cum dativo conjungitur[1]). — Item schol. ad vs. 522 (Dübn. p. 291 b. 6) restitue: . . . . ἐπεὶ ἐποίησα παίζων σχῆμά σε παραπλήσιον ἔχειν τῷ Ἡρακλέους, pro: τοῦ Ἡρακλέους.

Schol. Rav. ad vs. 507. κολλάβους: κολλάβους λέγει τοὺς ἄρτους τοὺς ἐοικότας τὴν πλάσιν τοῖς κολλάβοις τῆς κιθάρας.

An restituendum sit: τῷ κολλάβῳ dubito. Quod hic κόλλαβος appellatur, plerumque κόλλοψ audit: *clavicula*, *verticillum*. Simplex etiam legitur Vesp. 474, Hom. Od. XXI. 407; Lucian. Dial. Mar.

---

1) Cf. scholl. ad vss. 967, 1057; Antiatticista in Bekk. Anecd. p. 163. 11: παραπλήσια καὶ ὅμοια: δοτικῇ.

I. 4. Maxime tamen me movet Eustath. p. 1915. 7: κόλλοψ, ὃ τοῖς ὕστερον κολλάβος, δι' οὗ τείνονται αἱ χορδαί. Unde colligitur citharam unum tantum verticillum in latere habuisse, quo omnes fides, in summa cithara jugo annexae, intenderentur. Instrumenti autem pars inferior cui chordae affiguntur, dicitur χορδοτόνος (Poll. IV. 62). — Plurali tamen forma utitur Lucian. Deor. Dial. VII. 4. In schol. ad Plat. Rep. VII p. 531 legimus: κολλόπων: κολλάβων. οὕτω δὲ λέγονται τὰ τῶν χορδῶν ἐπιτόνια περὶ ἃ εἰλοῦνται αὗται. Hoc loco igitur κόλλοπες appellantur, qui alias πασσάλισκοι vocantur: *transversa transtilla* [1]). — Scholiastam nostrum bullam tantum fini transtilli superioris infixam, non ipsum transtillum voluisse, cum Ruth. potissimum credo. — Pro conjectura mea etiam faciunt nummi nonnulli in quibus citharae, una clavicula praeditae, expressae sunt. [2]) et testimonia quaedam ex artibus fingendi et pingendi. [3])

Ad. vs. 520. v. Leeuwen in commentario recte Fritzschium locum interpretatum esse perhibet, qui αὐτός vertit: *solus*, *sponte*. In Fritzschii Ranarum editione autem interpretationem laudatam non inveni, quin etiam in commentario dicit: „*Egregie vero hic Xanthias de semetipso ponit αὐτός. Gerit enim se pro hero, quum reapse servus sit, mire gestiens persona herili etc.*" Utut est, Leeuwenium hanc explicationem defendere equidem miror. Urbanitatis hoc esse dicit, ne vix aegre Xanthias a mulierculis pertrahi videretur. Attamen minime, me judice, metuendum ei erat, ne tale quid de se existimarent mulierculae quae intus erant, quippe quae verum Herculem, vitae delicias profecto non spernentem, eum esse crederent. Adde quod pulchra oppositio inter αὐτός et ὁ παῖς sic

1) cf. schol. ad Vesp. 574.
2) cf. Mionnet Descr. d. Méd. antiq. suppl. III pl. 5, ib. IV. 8, VI. 3, 8, VIII. 12.
3) cf. Overbeck Gesch. d. Gr. Plastik I³ p. 142, 162, 201, II p. 395, 405.

prorsus perit. Multo festivior locus erit, si sumamus Xanthiam lente atque majore voce voc. *αὐτός* pronuntiasse, deinde fastidiose atque magnifice se jactantem servum jussisse: *ὁ παῖς ἀκολουθεῖ.*

Quapropter Kockio astipulari ne punctum quidem temporis dubito annotanti: *αὐτός aber, das sonst der Sklave von seinem Herrn zu brauchen pflegt, braucht Xanthias hier als der verkappte Herr in der köstlichsten Parodie von sich selbst* [1]).

Schol. ad vs. 541. (Dübn. p. 292.18) *δοκεῖ δὲ οὗτος* (scil. Theramenes) *καὶ τὰ τρία ψηφίσασθαι ἐπιζήμια ἢ δεσμεύεσθαι ἐν τῷ ξύλῳ ἢ πιεῖν κώνειον ἢ ἐκφυγεῖν.*

Sic apud Suid. quoque legitur; in cod. Ven. est: . . . . . *ἐπιψηφίσασθαι ἐπὶ ζημίᾳ.* Corrigendum est: . . . . *καὶ τὰ τρία ἐπιψηφίσαι ἐπιζήμια κτλ.* Ad litem enim praetoribus post cladem apud Arginusas illatam haec verba spectare necesse est, si omni sensu non carebunt. — Hanc de supplicio dubitationem Xenophon in praetorum judicii narratione [2]) non memorat; scholiastam hariolari manifestum est [3]).

*Schol. Rav. ad vs. 543 ἀνατετραμμένος: ἀντὶ τοῦ * ἀνακείμενος.*

Lacunae signum posui. Ruth. vertit: *reclining;* attamen hoc verbum nusquam idem quod *recubare* valet quod graece audit: *ἀνακλίνεσθαι.* In Bekkeri Anecd. p. 26.23 legimus: *ἀνακεῖσθαι: τὸ κατακεῖσθαι*, cumque eo consentit Athen. I. 42, qui *ἀνακεῖσθαι* proprie quidem in usu esse dicit de statuis *(collocatum esse)*, saepius tamen eadem notione reperiri qua *κατακεῖσθαι*: *accumbere.* Hanc notionem quam Phryn. apud Lob. p. 261 rejicit, scribens: *ἀνάκειται δὲ ἐπὶ τῆς κλίνης οὐκέτι, ἀλλὰ κεῖται* (leg. *κατακεῖται*), hic

---

1) cf. Poll. III. 74.

2) Hell. I. 7.

3) De accusationis genere, quod *εἰσαγγελία* dicitur cf. Gilbert i. l. 1² p. 304 sq. Thalheim Hermes 37 p. 339 sqq.

quoque annotatorem verbo tribuisse dixeris [1]). Quocirca inseruerim: <ὕπτιος>, <μεθύων> vel simile quid.

Schol. Rav. ad vs. 544. ἐγὼ δὲ πρὸς κτλ.: ὁρῶν γὰρ, ὁ Διόνυσός φησι, συνόντα τῇ ὀρχηστρίδι τὸν Ξανθίαν καὶ ὥσπερ ὑπερ<ερ>εθιζόμενος τοῦ αἰδοίου ἐδραττόμην, ὁ δὲ Ξανθίας γνοὺς ..... ἐπάταξεν ἄν με.

Post ἐδραττόμην vero cod. exhibet: ἀντ' ἐμαυτοῦ, quae Ruth. lemmati τοὐρεβίνθου, vs. 545, ascribit, legens: ἀντὶ <τοῦ> ἐμαυτοῦ, prorsus sine sensu. Veram lectionem jam redintegravit v. Leeuwen [2]), τοῦ αἰδοίου ἐδραττόμην ἂν τοῦ ἐμαυτοῦ, ὁ δὲ κτλ. Similis corruptela, emendata jam a Dobraeo et Fritzschio in schol. Ven. ad vs. 1432 (Dübn. p. 312.14) recurrit.

Schol. Rav. ad vs. 545. .... ὡς ταῦτα τοῦ Ξανθίου ποιοῦντος ἐπειδὰν διακονεῖ τῷ Διονύσῳ. Immo: διακονῇ.

Schol. Rav. ad vs. 553. ἀνάβραστ': ἑψημένα.

Corrige: ἡψημένα cf. Etym. M. p. 430.42, p. 822.14.

Schol. Rav. ad vs. 555. τὰ σκόροδα τὰ πολλά: οὐ δείκνυται Ἡρακλῆς σκορόδων γευσάμενος· διὸ πρὸς ταῦτά φησι: „ληρεῖς ὦ γύναι."

Quin hoc schol. corruptum sit, nullus dubito. Nam et suspicionem movet sententiae constructio et verbum δείκνυται manifesto adulteratum est; exspectaveris verbum credendi. Ruth. vertit: *observe that there is no evidence that Hercules ate garlic*, quae absurda hic sunt. Audacter corrige: οὐκ ἀποδέχεται Ἡρακλέα σκορόδων γευσάμενον, i. e. *intellegere non potest Herculem allia degustasse, quapropter dicit etc.* — Dionysus, utpote deus delicatus atque effeminatus, in animum suum non inducit, Herculem olim frugalibus istis oleribus se aluisse, quae milites et tenuioris condicionis homines consumere solebant [3]).

---

1) Cf. schol. ad Vesp. vs. 1214. 2) Mnemos. 24. p. 340.

3) Cf. Equit. 600, Acharn. 164, 1099, Lys. 690, Suid. s. v. σκοροδίοις: .... λιμῷ δὲ περιπεσόντες οἱ Ἀθηναῖοι τούτοις ἐχρήσαντο. Sic etiam porrum sectile inter cibos est hominis sordidi, Juv. 14. 133. cf. ib. 3.293.

Schol. ad vs. 563 sine idonea causa Rutherfordum distraxisse recte autumat Roemer l. l. p. 170. Nihil offensionis habere, quae cod. Ven. exhibet: *τὸ τρώγειν καὶ μὴ διδόναι τὸν μισθόν* mihi quoque videtur. Cod. Rav. habet: *τὸ — διδόναι πανταχοῦ*, ubi exciderit post *διδόναι*: *τὸν μισθόν*.

Schol. Rav. ad vs. 567. ἐξάξας: τοῦ πανδοκείου |. τὰς ψιάθους: οἷον καὶ τὰ στρώματα.

In cod. posteriora prioribus antecedunt. Quin Ruth., haec transponens, valde fallatur vix dubitandum est. Scholiasta si tale quid voluisset, scripsisset fere: *ἐκ τοῦ πανδοκείου δηλονότι*, praepositionem certe non omisisset. Nihil mutandum est. Annotator dicit Herculem, simulac caupona cum ancilla minis perterritae in superius tabulatum confugerunt, raptim stragulas vestes e taberna abstulisse. Quas in inferiore domus parte fuisse facile intellegitur, siquidem et *ξενῶν* et *ἀνδρῶν* ibi erant cf. Poll. I. 78 sqq [1]). Insolentius etiam hoc Herculis facinus erat, quandoquidem iter facientes talia secum portanda curabant. cf. schol. ad vs. 1, Aeschin. II. 99, Plato Theaet. 175 e.

Schol. ad vs. 579. (Dübn. p. 293. 40) *κάκιστ᾽ ἀπολοίμην: ἐνταῦθα φοβούμενος ὁ Διόνυσος ὑποκρίνεται φιλίαν πρὸς Ξανθίαν, ἵνα πάλιν Ἡρακλῆς γένηται καὶ αὐτὸς Ξανθίας [κελευόμενος ὑπὸ Διονύσου].*

Ultima expunxi, quae mire hic se habent, in ipso loco ubi Dionysus infimis precibus servum, ut suas partes denuo suscipiat, movere conatur. Verba *ὑπὸ Διονύσου* insuper artificiosam tantum explicationem admittunt; expectaveris: *ὑπ᾽ αὐτοῦ.* [2])

Schol. ad vs. 593. (Dübn. p. 293 b. 9) *μωρχίνων ληφθήσῃ.*

---

1) De aedium dispositione cf. Bekk. Char. II. p. 70 sqq., Hermann l. l. 4. 19

2) v. Leeuwen l.l. aliter loco mederi conatus est, praefigendo scil. ultima, inde ab *καὶ αὐτός*, scholio ad vs. 582: *ἅπερ πρὸς αὐτὸν ὁ Διόνυσος πρότερον ἔλεγε, ταῦτα λέγει καὶ αὐτὸς εἰρωνευόμενος καὶ παίζων.* Parum feliciter arbitror; mihi quidem haudquaquam persuasit.

Nimirum hoc schol. revocandum est ad vs. 595: εἰ δὲ παραληρῶν ἀλώσει.

Schol. ad vs. 607 (ib. 32). μὴ πρόσιτον: οὐκ εὖ οὐδὲ κυρίως τὸ πρόσιτον προκαλεῖται.

Vix ac ne vix quidem haec concoquo; scribendum esse suspicor:... τῷ <μὴ> πρόσιτον προκαλεῖται <αὐτούς>. Interpretare: *injuria et parum opportune*, *i. e. prudenter ad pugnam (sibi iniquam) eos provocat.* — In sequentibus Ruth. edidit: ἔνιοι δέ φασι πάντα αὐτὸν λέγειν τὸν Πλούτωνα, ἀγανακτοῦντα ἐπὶ τὸ τύπτεσθαι τοὺς ἀκολούθους κτλ. Rectius Ven. habet: ἐπὶ τῷ τύπτεσθαι. Inter multas verborum affectuum constructiones, conjunctio cum ἐπὶ c. acc., quantum scio, non occurrit [1]). In schol. ad vs. 749 eodem scripturae vitio legitur: ἐπὶ τὸ πολλὰ πράττειν, pro: ἐπὶ τῷ π. π.

Schol. Rav. ad vs. 611. μὴ ἀλλ': τῷ μὴ ἀντὶ τῆς οὐ χρῶνται.

Ruth. annotat: *supply* ἀρνήσεως. Recte fortasse, attamen sic etiam addendum est post μή: ἀπαγορεύσεως cf. schol. Ven. ad vs. 103. Simplicius vero est τῆς mutare in τοῦ, quod cod. Ven. exhibet.

Ibidem. ὑπερφυᾶ: ἀντὶ τοῦ μεγάλα.

Adscripta in cod. haec erant vs. 610, lemmati οὐχὶ δεινά, quae sine justa causa, me judice, Ruth. transposuit. Primum enim optime illic se habent; voc. enim μέγας saepius in malam partem adhiberi vix est quod addam [2]). Tum obstat quod scholiasta in explicationibus voc. majore vi praeditum circumscribere non solet vocabulo, quod vim habet minorem. Valet autem ὑπερφυᾶ: *contra naturam, monstruosa.*

Schol. Rav. ad vs. 614. ἄξιόν τι καὶ τριχός: ἀντὶ τοῦ τυχὸν <τι>.

---

1) Cf. Buttmann Gr. Gr. § 131. 2.

2) E. g. Hom. Od. XXII. 288, Soph. Aj. 386, Antig. 1349.

Collatis vero scholl. ad Vesp. vss. 91, 541, Eccl. 284 legendum esse suspicor: ἀντὶ τοῦ <τοῦ> τυχόν<τος>, ita ut ad unam vocem τριχός haec spectent, aut quae lenior est correctio: ἀντὶ τοῦ <τὸ> τυχόν. Apud Suid. s. v. ἄξιος hoc legitur.

Schol. Rav. ad vs. 638. προτιμήσαντά τι τυπτόμενον: φροντίσαντα τῶν πληγῶν, ἀττικῶς.

Rogari potest, quid ἀττικῶς hic sibi velit, spectetne ad constructionem an ad verbi significationem. Scholiastam hoc voluisse libentius credo coll. schol. Ven. ad vs. 655: προτιμᾷς οὐδέν: καὶ νῦν οἷον οὐκ ἐπιστρέφῃ, quamquam Phryn. in Bekk. Anecd. p. 60. 2 dicit: προτιμᾶν: τὸ φροντίζειν, nihil addito.

Schol. Rav. ad vs. 646. πηνίκα: ὡς μὴ αἰσθανόμενος καὶ αὐτὸς ὁ Διόνυσος λέγει: „πότε με ἔτυψας;"

Ultimis mendum inesse nemo non videt. Locum tamen non tangerem, si quodammodo perspici posset, qui scholiasta ad hanc explicationem adductus sit. Vs. 646 eum legisse mihi subit: ΘΥΡ: ἀλλ' εἶμ' ἐπὶ τονδὶ καὶ πατάξας .... ΔΙΟΝ.: πηνίκα; ita ut Dionysus janitorem interrumperet. Sed ne sic quidem in schol. aoristum expectaveris. Qua propter reponendum duco: πότε με τύψεις; In futuri forma non est quod haereamus; praeter aor. ἐτύπτησα etiam ἔτυψα scholiasta agnovit. cf. schol. ad vs. 149, 652, Thom. Mag. s. v. τυπτήσει: κρεῖττον ἢ τύψει καὶ παίσει.

Schol. Rav. ad vs. 657. οὐκ ἔπταρον: <οὐκ ἐκίνησα>. οὐκ ᾐσθόμην. ὁ γὰρ πταρμὸς κεφαλῆς κίνησις καὶ αἴσθησις.

Suid. s. v. ἔπταρον verba κίνησις καί absurde omittit. Inserui quibus propter sequentia carere non possumus. Verisimile autem videtur Suidam ea quae addidi jam in ms. suo non legisse itaque verba indicata expunxisse.

Deinde: πῶς οὐκ ἔπταρον: ἐπεὶ οἱ θιγόντες τοῦ μυκτῆρος λεπτῷ κάρφει πτάρνυνται. [ἢ ὀσφραίνονται προσενεγκόντες· οὕτω, φησίν, ἥψατό μου ἡ πληγή, ὃν τρόπον ἅπτεται κάρφος μυκτῆρος].

Haec seclusit Ruth., cui ab omni parte assentiri nequeo. Hisce omnibus enim deletis desideratur aliquid; nam revera stipula eum non titillavit. Ad veram codicis scripturam proprius nos accedere credo, si restituimus: *οὕτω Φησίν ἥψατο <ἄν>* (scil. *εἰ ἤδη ἐπεπλήγης*) *μου ἡ πληγὴ — μυκτῆρος. ἐπεὶ οἱ θιγόντες — πτάρνυνται.* Comparationis expositionem haec tantum continere manifestum est. — Ruth. accentum *θίγοντες* hic servavit ut in schol. ad Lys. 1004: *θίγειν.* Verbum tamen *θίγω* valde suspectum est et ex ipso accentu vitiose posito a grammaticis fictum videtur [1]). Recte vero Herod. *περὶ μον. λεξ.* p. 22 scribit: . . . . *λέγεται δὲ ὑποτακτικῶς κατὰ τὸν ἀόριστον χρόνον, ἐὰν θίγω.*

Schol. Rav. ad vs. 651. *Διομείοις: <Διόμεια> δῆμος τῆς Αἰγηΐδος Φυλῆς ἀπὸ Διόμου τοῦ Ἡρακλέους* |. *Διομείοις: ἐστὶν Ἡράκλειον αὐτόθι περὶ οὗ καὶ Ῥιανός Φησι δηλῶν ὅτι Διόμῳ Ἡρακλῆς <ἐκεῖ συν>εγένετο.*

Ruth. recepit conjecturam Fritzschii; cod. exhibet: *Δίομος Ἡρακλῆς ἐγένετο.* Priora etiam apud Suid. occurrunt. In schol. Ald. vero post *Διόμου* legitur: *ἐρωμένου*, a Musuro illatum ut congrueret, nisi fallor, cum Steph. Byz. s. v. *Διόμεια*: . . . . *Ἡρακλῆς γὰρ ἐπιξενωθεὶς παρὰ Κολλύτῳ ἠράσθη Διόμου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ.* — Mihi autem verba *τοῦ Ἡρακλέους* delenda videntur collatis quae Suid. i. f. exhibet: *καὶ Διομειαλαζόνας λέγει ἀπὸ Διομείων τοῦ δήμου· ὃς ὠνόμασται οὕτως ἀπό τινος Διόμου* (ex schol. ad Acharn. vs. 603 desumpta) et Etym. M. p. 277. 24: *ὄνομα κύριον ἥρωος Ἀθηναίου ἀφ' οὗ Διομειὰς ἑορτή.* Nihil enim tribuendum est Etym. M. p. 102. 42: *ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς, ἄνδρομος, ὡς ἀπὸ Διὸς Δίομος, κυρίως ὁ πατὴρ* (Meineke *παῖς*) *Ἡρακλέους*, cum propter sententiam ridiculam tum ob locum quaestionem etymologicam continentem ineptissimum. — De hoc igitur Diomo nihil innotuisse satis apparet, sed facile intellegitur postea addita haec esse, ut nexus

---

1) Cf. Etym M. p. 25. 28. Exemplorum copiam contulit Elmsley ad Oed. Col. 470.

inter Diomum et Herculem constitueretur. Itaque rescribas velim: .... ἀπὸ Διόμου <τινός>. — Cetera tamen, cum ipsius Rhiani versus perierint, nimis incerta ratus manus abstinere satius duxi.

Schol. Rav. ad vs. 685, κἂν ἴσαι γένωνται: ὑπερβολικῶς εἶπεν. ὅταν γὰρ [καὶ] ἴσαι αἱ ψῆφοι γένωνται, ἀπολύεται ὁ κατηγορούμενος.

Voc. καί quod e textu irrepsit, manifesto delendum est. In sequentibus vitio typographico, opinor, in vss. ex Iph. Taur. allatis, apud Ruth. legitur: ἐξέσωσα δέ | καὶ πρίν γ' 'Αρείοις ἐν πάγοις κτλ. Pro γ' servandum est quod. cod. exhibet: σ'.

Schol. ad vs. 694 (Dübn. p. 295b. 33) καὶ Πλαταιᾶς: ἀντὶ τοῦ Πλαταιέας. τοὺς συνναυμαχήσαντας δούλους 'Ελλάνικός φησιν ἐλευθερωθῆναι καὶ ἐγγραφέντας ὡς Πλαταιεῖς συμπολιτεύσασθαι αὐτοῖς, διεξιὼν τὰ ἐπὶ 'Αντιγένους τοῦ πρὸ Καλλίου. Καλλίστρατός φησιν οὐ συναλοιφὴν εἶναι, ἀλλὰ διάλεκτον ἰδίαν, σημαίνουσαν τὸ δέον.

Sic exhibent codices Ven. et Rav., nisi quod hic omisit verba: ἀντὶ τοῦ Πλαταιέας et ultima inde ab Καλλίστρατος, quae in principio scholii ponit cod. Ven. In ceteris codicibus ultima haec sequuntur: .... σημαίνουσαν τὸ δέον εἶναι ἢ ὁμοίους ἡγεῖσθαι τοῖς ἐν Πλαταιᾶσι τὸ Ξέρξου νενικηκόσι πεζόν.

Quae male disposita esse nemo non videt. Priora hoc modo redintegranda esse suspicor: ἀντὶ τοῦ Πλαταιέας. Καλλίστρατος—ἰδίαν. σημαίνει δὲ τὸ εἶναι ὁμοίους ἡγεῖσθαι τοῖς κτλ. — Nunc cetera excutiamus. Plataeenses jure civili donatos cives Athenienses minuto jure fuisse opinatus, Ruth. audacter scripsit: τοὺς Σαλαμῖνι ναυμαχήσαντας, deinde i. f.: <καὶ Φιλόχορος> διεξιὼν—Καλλίου *. At cum de illo diverso civium genere nihil tradatur et hoc unum constet, Plataeenses, primos civitate donatos, omnia civium ingenuorum jura non habuisse [1]), admittenda haec correctio non videtur. Nomen

1) cf. Gilbert l.l. p. 206.

proprium quod inseruit, eo opus erat quia ultima Hellanico, quem ante pugnam apud Arginusas vita defunctum jam esse verisimile est [1]), tribui nequeunt. Attamen nomen Philochori insertum nullo argumento corroborari potest. Neque felicius, me judice, Fritzsche contextum restituere conatus est, qui pro Ἑλλάνικος legi jubet Φιλόχορος, eadem nimirum opinione de Plataeensibus in errorem inductus. — Licet difficillimum sit errores grammaticorum in locis graviter mutilatis investigare neque semper prima corruptelae causa indicari possit, hic tamen suspicionem proferre audeo. Proxime ad archetypum scholium accedere probabile mihi videtur, quod praebet cod. Ven. ad vss. 692 sqq., a Rav. omissum. Ubi haec leguntur: ἐπειδὴ τοὺς συνναυμαχήσαντας δούλους ἐλευθέρους ἐποίησαν. καὶ Πλαταιᾶς δὲ εἶπεν ὡς καὶ τῶν Πλαταιέων ἀφέντων ἐλευθέρους τοὺς συνναυμαχήσαντας περὶ Σαλαμῖνα. Quae annotatio a grammatico nescio quo locupletata videtur, qui auctoris nomen addidit. Quibus deinde perperam in scholio insequenti receptis atque priore scholio omisso, tertius annotator insulsa illa adjecit: διεξιὼν τὰ ἐπὶ Ἀντιγένους κτλ., ut quos servos scholium opinione sua vellet, indicaret. Nunc etiam patet qui verba ἀντὶ τοῦ Πλαταιέας et Καλλίστρατός φησιν κτλ. tam mirum in modum sejungi potuerint, a Rav. autem prorsus omissa sint. — Quam corruptelae explanationem certam esse minime contendo, probabilitatem vero quandam habere opinor. Ipsa tamen codicis Rav. verba restituere supersedeo.

Quod ad *vs.* 693 interpretationem, a Kirchhoffio, cui v. Leeuwen adstipulatur, et a Kockio aeque dissentio. Servos anno 406 libertate donatos novos cives adscriptos esse Plataeensibus, quibus Athenienses, cum post urbem dirutam anno 428 [2]) Athenas con-

---

1) A. Gelli N. A. XIV. 23; Fritzsche in Comment.

2) Thuc. III. 68.

fugissent, anno 421 Scionem urbem habitandam concesserunt [1]), Kirchhoff putat. Cujus interpretationi nomen Hellanici in scholio ob causas supra prolatas obstat, cum verba praeterea: διεξιὼν κτλ., quibus ad servos, qui apud Arginusas pugnaverunt, annotatio spectare videtur, manifesto postea addita sunt. Neque schol. ad vs. 692 Kirchhoff et v. Leeuwen respexerunt, ubi disertis verbis servorum mentio fit, quorum opera bello Persico usi sunt Plataeenses. Hic vero urguendum non est, quod Herod. VIII. 44 Plataeenses in pugna Salaminia interfuisse negat, siquidem diversa hac de re Hellanicus tradere potuit [2]), aut facile intellegitur scholiastam memoriter haec afferentem, solam Salaminiam pugnam nominasse, licet de universo bello Persico cogitaret.

De Kockii explicatione, utpote orta e falsa de diverso civitatis genere opinione, quam supra rejeci, amplius non est disserendum. — Veram loci interpretationem scholium ad vs. 692 praebere mihi videtur, quod ultimis scholii ad vs. 694 verbis etiam amplificatur. Comice servos libertate honoratos pro civibus atque liberis, Plataeenses poeta nominat, quippe quorum servi, bene de patria meriti, inter cives olim recepti fuerant. Improprie igitur, meo quidem judicio, verba: καὶ Πλαταιᾶς εὐθὺς εἶναι, accipienda sunt.

Schol. Rav. ad vs. 701. πάντας ἀνθρώπους κτλ.: ὅτι πολλάκις καὶ συνεχῶς χρῆται τοῖς αὐτοῖς.

Haec Ruth. quamquam ipse dubitans, huc transposuit, pro χρῶνται legens χρῆται. Adscripta erant vs. 689 lemmati: Φρυνίχου παλαίσμασιν: ἔθος ἔχουσιν οἱ κωμικοὶ παρακωμῳδεῖν τοὺς τραγικοὺς, ὅτι κτλ.

Praesertim ob satis puerilem atque manifesto mutilam annotationem, quae ad vs. 689 restat, distrahenda haec non esse existimo.

---

1) Thuc. V. 32.

2) cf. Fritzsche Comment. p. 265.

Neque sensu scholiastae observatio caret, cum e praecedentibus (Dübn. p. 295 b 15) appareat et per se jam extra dubitationem positum sit, Phrynichum in tragoedia de variis luctae generibus multa disseruisse. Cum Dind. vero pro ὅτι legere mallem ὅταν.

Schol. Rav. ad vs. 710. alt. schol. βαλανῆς ὁπόσης κτλ.: δέον εἰπεῖν „ὁπόσοι κρατοῦσι γῆς" οὐκ εἶπεν ἀλλ' ἐπήνεγκεν ὅσα παρέχεται βαλανεὺς τοῖς λουομένοις σμήματα. | βαλανεύς: τὸν οὖν Κλειγένην ἐν τοιούτῳ ἤθει λέγει.

Ita Ruth., lemmata de suo addens atque ὁπόσοι scribens pro ὁπόσης. Quem errasse censeo. Substantivum enim βαλάνη, quod sciam, nusquam exstat nec facile quisquam dixerit quo modo poetae verba explicari possint. At ex ipsis scholii verbis luculenter, me quidem judice, apparet aliud quid scholiastam voluisse. Primum lemmate quod Ruth. addidit recepto, ἀπροσδόκητον illud, quod schol. indicat, prorsus perit omnique sensu igitur annotatio caret; ex sequentibus deinde manifestum est in voc. γῆς emphasin positam esse debere. — Nihil mutare mallem, apud poetam tamen scholiastam inepte legisse suspicor: ὁ πονηρότατος βαλανεύς, ὁπόσης κρατοῦσι κτλ. Pro hac mea sententia etiam facere videtur schol. praecedens: ὥσπερ εἰ ἔλεγεν πονηρότατός ἐστιν πάσης γῆς ὁπόσης οἱ βαλανεῖς κρατοῦσι κτλ. — Ultima Ruth. anglice reddit: *In allusion to Cleigenes in his character as bath-man.* Quae nimis alte quaesita versio ipsum editorem de textus integritate dubitasse testatur, nisi fallor. Equidem locum procul dubio corruptum duco. Rescribe: τ. ὁ. Κλ. ἐν ἤθει τοιοῦτον λέγει, i. e. *unum e balneatoribus* (qui pessime Athenis audiebant) *jocose* [1]) *Cligenem appellat* *. cf. quae exhibet Ven.: τοῦτον δὲ ὡς βαλανέα ἐξάγει (male Suid. s. v. Κλειγένης: εἰσάγει). — Et revera fieri potest ut non sine causa de comici fide

1) Eodem sensu ἐν ἤθει legitur e. g. schol. ad vss. 177, 621, ad Plut. vss. 610, 869, 884 etc.

hic dubitaverit annotator, quamquam, cum nihil de Cligene aliunde notum sit, res dijudicari nequit.

Schol. Rav. ad vs. 714. alt. schol. *ἰδὼν τάδε: εἰδὼς ὅτι μισεῖται παρὰ τῶν πολιτῶν· διὸ καὶ βακτηρίαν ἔχων περιῄει δι' ἧς ἠμύνετο τοὺς ἐπερχομένους αὐτῷ.*

In cod. autecedunt: *προσεποιεῖτο δὲ ὥς φασι καὶ μανίαν εἰδὼς ὅτι κτλ.* Quae Ruth. lemmati: *οὐκ εἰρηνικός ἐσθ' κτλ.* adscribit, cum Ven. legens: *προσεποιεῖτο πρόφασιν καὶ μανίαν.* Locutio vero *πρ. πρόφασιν* num omnino graecum sit valde dubito; a scholiastarum sermone eam alienissimam duco. Ruth. per *ἓν διὰ δυοῖν* vertit: *Observe that he pretended to be mad to get an excuse*, nimis artificiose, me judice. Accedit quod, quid talia hic sibi velint, prorsus non perspicimus. Inversa ratione *πρόφασιν* corruptum esse ex *ὥς φασιν* potius credo. Integram codicis Rav. scripturam esse opinor, quae sanam sententiam praebebit, si totum scholium lemmati: *οὐκ εἰρηνικός ἐσθ'* subjunxeris. Hoc dicit: Cligenem vesaniam simulasse ut praetextum sibi pararet circumeundi fuste armatus, quo a civibus sibi infensis se defenderet. cf. Suid. s. v. *ἄνευ ξύλου μὴ βαδίζων: . . . προσεποιεῖτο πρὸς τοῖς ἄλλοις κακοῖς καὶ μανίαν, εἰδὼς ὅτι κτλ.* Quod, ut recte annotat v. Leeuwen, in ridiculum detorquet comicus.

Sic de Oreste grassatore dicitur schol. ad Acharn. vs. 1167: *οὗτος προσποιούμενος μανίαν τοὺς παριόντας ἀπέδυεν*, quae interpretor: Orestem specie insaniae armatum urbem perambulasse, cum revera grassatorem et latronem ageret. cf. Av. vs. 497.

Schol. ad vs. 720. (Dübn. p. 296 b. 11) *εἴς τε τἀρχαῖον νόμισμα: τῷ προτέρῳ ἔτει ἐπὶ Ἀντιγένους Ἑλλάνικός φησι χρυσοῦν νόμισμα κοπῆναι.*

Recte fortasse de hoc loco Fritzsche judicat, qui, inde ab *Ἑλλάνικος* haec dividens, in fine lacunam statuit. Sicut nunc leguntur sine contraversia corrupta sunt. cf. supra schol. ad vs. 694.

Schol. Rav. ad vs. 725. alt. schol. *τοῖς πονηροῖς χαλκίοις: τοῖς ἀδοκίμοις καὶ μεμιγμένοις χαλκῷ, ὡς ἐπὶ νομισμάτων.*

Ultima ab hoc loco aliena esse, cum poeta in comparatione nihil aliud nisi nummos spectet, certum habeo. A vs. 730 huc aberrasse suspicor. — Eadem fere aeque inepte in cod. Ven. ad vs. 726 leguntur: *ὡς ἐπὶ νομίσματος δὲ τῷ κόμματι*, quod, ni fallor, meam sententiam firmat.

Schol. Rav. ad vs. 730. προυσελοῦμεν: ἀντὶ τοῦ προπηλακίζομεν, ἐλαύνομεν, εἰσβάλλομεν.

Perperam *εἰσβάλλομεν* servavit Ruth. vertens: *we attack*. At proferat mihi, quaeso, exempla ubi aggrediendi notione hoc verbum de personis ponatur. Praestat quod exhibet cod. Ven.: *ἐκβάλλομεν* [1]).

Quod ad voc. *πυρρίαις*, vs. 730, interpretationem, notissimum aliquem virum nunc significari v. Leeuwen existimat. Digna etiam quae ab oblivione vindicetur haecce observatio mihi videtur Radermacheri [2]): *πυρρίας heiszt der Rotkopf und Leuten mit rotem Haar schreibt das Volk noch heutzutage besondere Pfiffigkeit zu.* Inter alia testimonia affert Mart. Epig. XII. 54:

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine laesus,
Rem magnam praestas, Zoile, si bonus es.

Schol. ad vs. 750 (Dübn. p. 297. 31) *τὸ δὲ παρακούων οὐχ ὡς ἡμεῖς εἰώθαμεν λέγειν, καταφρονῶν τῶν λεγομένων παρὰ τῶν δεσποτῶν, ἀλλ' ἴσως τὸ λάθρα ἐπακροώμενος. ἔνθεν καὶ ὠτακουστὰς οἱ Ἀττικοί φασιν.*

Corrige: . . . *ἀλλ' ἴσον* <*τῷ ὠτακουστῶν*>, *τὸ λάθρα ἐπακροώμενος κτλ.* cf. Thom. M s. v.

Ad vs. 755 sqq. Post Xanthiae verba: *καὶ δὸς κύσαι καὶ αὐτὸς κύσον*, explicationem scenicam v. Leeuwen addit: „Clamores audiuntur post scenam". A scholiasta hic dissentit, qui post *ὁμομαστιγίας* servum, clamore intus audito, subito tacuisse putat. Ego scholiastam sequor. Post Xanthiae enim verba vivida et alacria

---

1) Cf. Kock ad Equit. vs. 525.

2) Philol. 57 p. 224.

καὶ δὸς κύσαι κτλ., clamoribus necopinato sublatis, sequentia nimis languide et sedate sonant. Nisi forte jam antea tumultum intus auditum esse sumas, cujus causam nunc tandem, amicitia inita, rogare audeat servus. Quod contra morem consuetudinemque comoediae esset neque cum servi indole congrueret. — Neutiquam vero minore alacritate actio continuatur, si post *ὁμομαστιγίας* aposiopesin statuimus, ita ut deinde Xanthias, quodammodo perturbatus, roget: *τίς οὗτος οὔνδον ἐστὶ θόρυβος κτλ.*

Schol. Rav. ad vs. 767. *παραχωρεῖν: τῷ εὑρισκομένῳ σοφῷ.*

Restitue: *τῷ εὑρισκομένῳ σοφω<τέρῳ δηλονότι>.*

Schol. Rav. ad vs. 775. *γλυκισμῶν: τῶν σεμνῶν μελῶν καὶ ἡδέων.*

In ms. lemma erat: *καὶ λυγισμῶν*, cui haec adscribi nequeunt. Suspecta tamen mihi est vox *γλυκισμός*, quae tantum recurrit Athen. Deipn. V p. 200 a et C. I. A. 1625.49. Huic vero loco non multum tribuo; illic quidam corrigunt: *γλυκασμός*, quia usitatae verbi formae sunt: *γλυκάζω* vel *γλυκαίνω*. In lemmate fuerit, me judice: *λιγυσμῶν*. Adjectivum *λιγύς* non de vocis sono tantum in usu est, sed etiam de verbis ponitur. cf. Hesych. s. v.: *ὀξύς, ἡδύς . . . . ἐπιφωνητής.* (?) *οὐ τῇ φωνῇ καθὰ καὶ αὐλοὶ, ἀλλὰ τοῖς ῥήμασι.* De cantico adjectivum usurpatur Hom. Od. 24.62. (in vs. suspecto).

Schol. Rav. ad vs. 800. *πλαίσια: τὰ τῶν ξύλων τετράγωνα. | πλαίσια ξύμπηκτα: ὥσπερ πλινθία ἐν οἷς πλινθεύουσιν. τὸ ξύμπηκτα* (pro: *σύμμικτα*) *πρὸς οὐδέν, ἀλλ' οἷον περιττὰ καὶ σοφά.*

Sine justa causa priora Ruth. distraxisse neque integra haec esse persuasum mihi est. Restituendum puto: *τὰ ἐκ ξύλων τετράγωνα <πήγματα> ὥσπερ κτλ.* cf. Suid. s. v. *πλαίσιον: καὶ τὸ ἐκ ξύλων τετραγώνων* (corr. *τετράγωνον*) *πῆγμα ὅ τινες πλινθίον καλοῦσιν*, Hesych. s. v. Ultima quid hic sibi velint, non assequor. Ruth. vertit: *The word has no special reference but means, so to speak, subtle and clever.* Intellegat qui possit! Scholium gravius

perturbatum esse, quam quod sanari possit mihi videtur. Itaque manus abstineo.

Sequuntur verba: *τοῦτο δὲ εἰς Εὐριπίδην*, quae vs. insequenti Ruth. adscripsit, addens tamen fieri non posse ut pro certo dijudicetur, ad quod lemma haec pertineant. Nec facile, cum sexcenties sive ipse Euripides sive ejus fabulae a comico vellicentur, cuiquam continget designare quo loco scholium olim legeretur. Attamen quin Ruth. in assignandis his huic vs. erraverit, nullus dubito; nullum enim hic idoneum sensum praebent.

Schol. Rav. ad vs. 810. *τῷ σῷ δεσπότῃ κτλ.*: *αὐτοῦ γὰρ ὁ ἀγών.* Hanc annotationem jam sic satis obscuram Ruth. etiam obscuriorem reddidit vertens: *The ἀγών being presided over by Dionysus.* Quem si recte intellego, ad poetarum disceptationem, quae sequitur, haec pertinere putat. Perperam me judice; aliud quid scholiastam voluisse mihi constat. Explicationem haec continere cur Dionysus „*τῆς τέχνης ἔμπειρος*" appellari possit, itaque voc. *ἀγών* ad ipsa Lenaea spectare opinor. Ludi scenici enim tunc celebrati ei sacri erant [1]). Ad hoc lemma igitur, vs. 811, scholium revocandum esse puto.

Schol. Rav. ad vs. 819. *σκινδαλμῶν*: *σκινδαλμὸς κυρίως τὸ περὶ τὸν φλοιὸν τοῦ καλάμου ξέσμα.*

Haec depravata esse nemo, opinor, non intelleget. Verti enim cum Ruth. nequeunt: *by σκινδαλμός is properly meant the scrapings from the bark of a cane.* Voc. *ξέσμα*, quamquam apud Suid. s. v. *σκινδάλαμοι* et schol. ad Nub. vs. 130 quoque legitur, minus aptum mihi videtur. Valet enim *σκινδαλμός* (vel *σχινδάλαμος*): *assula*, *splinter*, non: *ramenta*, *schaafsel*, quod etiam testantur schol. ad vs. 824, Suid. l. l. et Hesych. s. v., qui interpretantur:

1) Cf. schol. ad Acharn. vss. 202, 504.

σκόλοψ [1]). Peculiariter autem de calamo dicitur teste Galeno Gloss. Hippocr. σχινδυλήσει: σχήματι (σχίσματι Thes.) καλάμου. Cohaeret praeterea, nisi fallor, cum verbo σχίζειν. cf. scid—scindere. Qua propter et hic et in schol. ad Nub. vs. 130 legendum esse suspicor: σχίσμα, itemque apud Suid.: τὰ τῶν καλάμων ἀποσχίσματα (pro: ἀποξύσματα) ἢ σκόλοπες. — Quid vero verba περὶ τὸν φλοιόν hic significant? Nisi longioris annotationis residua haec esse statuere praestat, conjicere lubet restituendum esse: σκινδαλμὸς κυρίως τὸ περιττὸν φλοιὸν, <τὸ> τοῦ καλάμου σχίσμα. — Fortasse operae pretium est animadvertisse praepositionem in codice accentu carere. De neutro autem φλοιόν cf. Hesych. s. vv. φλοιόν et πίτυρα.

Ib. παραξόνια: <κυρίως παραξόνια τὰ> περὶ τὸν τροχὸν ἑλκόμενα.

Interpretatio profecto parum perspicua! Ruth.: *properly anything dragged round by a wheel is* παραξόνιον, quae versio, nihil lucis afferens, ne probari quidem potest. Quamquam vocis significationem satis non constare recte annotat v. Leeuwen, probabile mihi est non injuria Fritzschium Bekk. Anecd. p. 58, 11 secutum esse, qui explicat: *clavus axium rotae continendae praefixus.* Itaque in scholio nostro haec fere fuisse credo: <κυρίως παραξόνια τὰ> παρὰ (cum Ald.) τὸν τροχὸν <διὰ τοῦ ἄξονος> ἑλκόμενα.

Vs. 818 sqq. ἔσται δ' ὑψιλόφων τε λόγων κορυθαίολα νείκη
σχινδαλάμων τε παραξόνια, σμιλεύματά τ' ἔργων
φωτὸς ἀμυνομένου φρενοτέκτονος ἀνδρὸς
ῥήμαθ' ἱπποβάμονα.

Merito in hisce vss. multi viri docti haeserunt, in vocibus σμιλεύματά τ' ἔργων praesertim, pro quibus suspicatus est Blaydes: σμιλεύματ' ἐπῶν τε, qua conjectura parum proficimus; v. Velsen: σμιλεύματ' ἀτειροῦς, sed abesse nequit conjunctio, ut observavit v.

---

1) Cf. Diosc. I. 17; Hippocr. p. 649, 49.

Leeuwen, qui ipse conjecit: σμιλεύμά τε τόρνου. Operae pretium est laudare facetam emendationem, quam fecit Blass[1]: σμιλευματοεργοῦ, quam ceteris praestare opinor. Confert vs. 826: στοματουργός.

Schol. ad vs. 824. (Dübn. p. 299. 21) πινακηδὸν ἀποσπῶν: ἀποσπῶν τὰ ῥήματα ὥσπερ πίνακας ἀπὸ πλοίων, οὐχ ὡς Εὐριπίδης σκινδαλμούς.

Legendum erit: ... ὥσπερ <θύελλα> πίνακας κτλ., vel simile quid. Ultima quae locum suum hic non tenent, lemmati ῥήματα γομφοπαγῆ jam reddidit Ruth.

Schol. Rav. ad vs. 825. γηγενεῖ φυσήματι: ἀντὶ τοῦ μεγάλῳ ὥστε σεισμοὺς ποιεῖν· ἀρχαία γὰρ ὑπόνοια τὸ ὑπὸ πνευμάτων σείεσθαι τὴν γῆν.

Eadem ceteri codd. exhibent, nisi quod post πνευμάτων inepte praebent: κατεχομένην. Quin locus mutilus sit dubium non est, me judice, cum omnes ventos e terra prorumpere antiquitus non crederetur itaque ultima, cur γηγενεῖ verti possit: μεγάλῳ ὥστε σεισμοὺς ποιεῖν haudquaquam explicant. Certissime autem κατεχομένην corruptum est, quod intellegi nunc nequit. Viam tamen ad scholium redintegrandum, nisi fallor, indicat. Propono: ... ἀρχαία γὰρ ὑπόνοια τὸ ὑπὸ πνευμάτων καταγείων σείεσθαι τὴν γῆν. cf. Suid. s. v. σεισμός: πνεύματος εἰς τὰ κοιλώματα τῆς γῆς ἐγκαθειρχθέντος[2]. — De adjectivi forma cf. Lob. ad Phryn. p. 297, Bekk. Anecd. p. 47, 14.

Schol. Rav. ad vs. 826. λίσπη: <λίσπη> ἡ ἐκτετριμμένη καὶ λεία· οὕτως γὰρ λέγονται οἱ τοιοῦτοι ἀστράγαλοι· [ἀφ' οὗ] καὶ λισπό<πυγο>ι <οἱ λεῖοι> τὰ ἰσχία.

Verba ἀφ' οὗ expunxi; voc. λισπόπυγος compositum esse videtur

---

1) Hermes 36 p. 310.

2) Quod ad veterum de terrae motus causis opiniones, consule Aristot. Meteor. II 8, 4, 18; de Mundo c. 4; Plin. Nat. Hist. II. 81; Sen. Quaest. Nat. VI. 12, 15, 20 sqq.; Gell. N. A. II. 28.

cum adjectivo *λίσπος*, non derivatum a substantivo *λίσπη*. cf. *ὑπόλισπος*. Ceterum Ruth. contextum recte restituisse opinor, etsi quod ad sequentia id pro certo non affirmaverim. Edidit scilicet: *λίσπη*: *Καλλίστρατος· <λίσπη> θηρίδιον λεπτὸν σφόδρα· ἀφ' οὗ καὶ οἱ τὰ ἰσχία λεπτοὶ λισπό<πυγο>. λέγονται.* An forte extrema hunc in modum constituenda sunt: .... *οἱ τὰ ἰσχία λεπτοὶ λίσπαι λέγονται*? Apud Suid. enim et Hesych. duos locos inveni, ubi expressis verbis homines, quos Horatius [1]) *depuges* nominat, graece etiam *λίσπας* audivisse legimus. Suid. s. v. *λίσποι* haec habet: .... *λέγονται δὲ καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ἐπιθετικῶς λίσπαι, διὰ τὸ .... ἀπογλούτους εἶναι*, Hesych. s. v. *λίσπαι*: *οἱ ἠκρωτηριασμένοι τὰ κάτω μέρη*. Neque per se spectatum improbabile est homines hujusmodi corporis figura praeditos bestiolae cujusdam nomine appellatos fuisse, id quod hodie quoque fieri solet, si cui singularis sive corporis sive animi similitudo cum animali est.

Schol. Rav. ad vs. 833. *ἀποσεμνυνεῖται: ἀντὶ τοῦ ἀπονοεῖται σιωπῶν.*

Prudenter nihil mutaverunt editores, quamquam jam Kuster locum vexavit, qui legendum esse: „*ἐπινοεῖται*, *meditatur*, *mente volvit*" suspicatus est. Satis enim vulgata defenditur hoc loco, Plut. Sol. c. 31: *ἐπὶ τούτοις δὲ πολλῶν νουθετούντων αὐτὸν ὡς ἀποθανούμενον ὑπὸ τοῦ τυράννου καὶ πυνθανομένων, τίνι πιστεύων οὕτως ἀπονοεῖται, Τῷ γήρᾳ, εἶπεν.* Praeterea cf. Zon. s. v. *ἀπόνοια*: *ἄνοια, ὕβρις*, Hesych. s. v. *ὑπόνοια* (corr. *ἀπόνοια*): *ὑπερηφανία, θράσος*, Et. M. p. 131. 3. — Verbum hic valet: *insolescere, fastidium prae se ferre*, atque ponitur de iis, qui eminere se ceterisque mortalibus superiores esse persuasum sibi habent [2]).

---

1) Sat. I. 2. 93.

2) Frequens substantivi *ἀπόνοια* est usus sensu: *arrogantia*, apud Joannem Chrysost. in Homiliis, teste Casaubono ad Theophr. Char. 24.

Schol. Rav. ad vs. 839. ἀπεριλάλητον: οὐκ εἰδότα λαλεῖν. οἷον οὐκ ἄν τις περιλαλῆσαι.

Integra haec esse non credo; priora saltem quo modo huic lemmati adscripta esse possint parum liquet. Aliud quid scholiastam hic legisse, nisi egregie fallor, indicant e. g.: ἀπειρόλαλον. Ad hanc enim lectionem utraque explicatio apte quadraret, si cum Blaydesio vertere liceret: *loquacitate non superandum.* Nam in compositis cum ἀπειρο — utraque adjectivi notio valet. Significat aut: *ignarus*, *expers* (Thesmoph. 119 ἀπειρολεχής, Pind. Nem. 4.30 ἀπειρομάχας) aut: *infinitus* (Aesch. Suppl. 71 ἀπειρόδακρυς). In contextu igitur tale quid scholiastam legisse probabile duco: τὸν ἀπειρόλαλον, τὸν κομποφακελορρήμονα [1]). cf. vs. 815 ὀξυλάλον.

Schol. Rav. ad vs. 840. ἄληθες ὦ παῖ κτλ.: ἀντὶ τοῦ ὄντως δή σύ;

In lemmate ἀληθές scripsit Ruth., annotans scholiastam ἀληθῶς intellexisse, quamquam quomodo sententiam construxerit haud facile dixeris. Praeter necessitatem, ut opinor. cf. schol. ad Plut. vs. 123; argumento esse nequit schol. ad Nub. vs. 841. Versio autem ejus: *are you really he?* prorsus est rejicienda Quid si ad vs. insequentem haec pertinent, ita ut verba σὺ δή, magna cum emphasi in versus initio posita, fulcimento sint? Cui conjecturae favere videtur, quod in cod. Rav. in fine annotationis haec legebantur. — Quae autem de varia lectione: ἄληθες (ἀληθὲς Ruth.) εἶ παῖς κτλ. Ruth. dicit, ut parum probabilia praetermitto.

Schol. Rav. ad vs. 847. ἄρνα μέλανα: ὡς τοιαύτης γενομένης θυσίας τῷ Τυφῶνι ἐν τῷ λῆξαι τὰς καταιγίδας.

Immo: ἐπὶ τῷ λῆξαι, ut jam Kuster restituit. Primum enim negandum est ἐν τῷ λῆξαι umquam graecum fuisse pro λήξαντι (Ruth.: *in cases in wich he has stopped hurricanes*), tum schol. insequens

---

1) Ribbeck, Rhein. Mus. 49 p. 472, proposuit ἀπερολάλητον, quod parum verisimile est, ut opinor.

planum facit id quod scholiasta voluerit: .... ὅπως λήξῃ τὸ πνεῦμα. — Eadem corruptela recurrit in scholiis ad Vesp. vs. 1025, Av. vs. 100, a Leeuwenio [1]) jam sublata. cf. supra schol. ad vs. 475.

Schol. Rav. ad vs. 849. ὦ Κρητικὰς μὲν κτλ.: εἰς τὴν τοῦ Ἰκαροῦ μονῳδίαν ἐν τοῖς Κρησί.

In cod. haec sunt: οἱ μὲν εἰς τὴν κτλ., deinde in fine: θρασύτερον γὰρ δοκεῖ εἶναι τὸ πρόσωπον, quae Ruth. lemmati: θρασύνεται, vs. 846, ascribit legens: θρασύτερα γὰρ δ. ε. τὰ πρόσωπα. Perperam sine dubio. Vocem enim θρασύνεται hic ad verba acerba ac vehementia Euripidis, vs. 836—40, spectare luce est clarius. Nec facile adducar ut credam scholiastam, quamvis stupidum, hoc non intellexisse ideoque explicationem in paucis ineptam et quaesitam dedisse. — Loco haec non movere cautius mihi videtur, quamquam nihili esse codicis scripturam jure perhibet Fritzsche. In causa est, nisi fallor, gravis libri Ms. corruptela, qui lacerum fragmentum longioris annotationis nobis servavit.

Schol. Rav. ad vs. 854. κεφαλαίῳ: ἀντὶ τοῦ ἀδρῷ.

Ruth. in annotatione: *The spelling ἀδρός probably represents the ordinary pronunciation.* Quae sententia quomodo argumentis firmari possit non video. Vocis enim ἀδρός cum etymon plane obscurum sit [2]), conjecturis de ratione scribendi parcere praestare videtur. — Buttmann [3]) vocem etymologice cohaerere cum adjectivo epico ἀδινός suspicatur, conferens: κυδρός — κυδνός, ψυδρός — ψυδνός. Qua tamen conjectura nihil proficimus cum ne hujus quidem adjectivi scriptura constet. Teste enim scholio ad Hom. Il. II. 87 (cf. Eustath. p. 178, 22) etiam ἁδινός in usu erat. — Similem dubitationem habet scriptura adjectivi ἀθρόος.

---

1) Mnemos. 24 p. 339.

2) Cf. Meyer Handb. d. Gr. Etym. I. p. 141, 143.

3) Lexil. I. p. 194.

Schol. Rav. ad vs. 864. κἄτι μάλα τὸν κτλ.: ὡσεὶ ἔφη „καὶ ὃν κωμῳδεῖς Τήλεφον εἰς μέσον φέρων".

Sic Ruth pro: φέρω, Dind. φέρε. Unusquisque ultimis, εἰς μέσον φέρων, locum hic non esse concedet. Nihili haec sunt nec facile intellegitur, qui ad poetae verba, quae nunc legimus, addita esse possint. Gravioris vitii apud ipsum poetam indicium haec continere mihi videntur. Fritzschio, Kockio ceterisque tacentibus, v. Leeuwen in ann. crit. se satis non perspicere unde accusativi, vss. 862—64, pendeant confitetur. Nec sine causa. Equidem nimis audacem me non puto textum corruptum esse contendentem. Vs. 863 sq. a verbo δάκνεσθαι, utcumque pendere possunt, attamen Euripides dixit: ἕτοιμός εἰμ' ἔγωγε . . . . δάκνειν, δάκνεσθαι, neque ullo modo cum verbo δάκνειν hi vss. conjungi possunt. Praeterea admirationem movet Euripidem, postquam de singulis tragoediae partibus in disputatione cum Aeschylo tractandis in universum locutus est, necopinato fabulas quasdam nominatim addere. Sic fere exspectaveris: καὶ τοῦτο τὸν Πηλέα γε, vel tale quid. Quas ob causas post vs. 862 puncto distinguendum esse, deinde post vs. 864 totum vs. intercidisse verisimile duco. Quo vs. Euripides dixerit se has fabulas ad certamen in promptu habere. — Neque huic suspicioni objici potest, quod Aeschylus a se nullas offerat, quippe qui ad manum tragoedias suas non habeat, quandoquidem ejus ars tragica vitae superstes sit. Postremo sic etiam magis perspicitur acerbae Aeschyleae responsionis ambiguitas, si Euripidem de fabulis suis tamquam de praesentibus locutum esse sumamus. Neque inutilem majorem hanc perspicuitatem esse, ostendit schol. ad vs. 868 [1]). — Ut ad initium revertar, perperam codicis lectionem et Ruth. et Dind. immutasse, post supra dicta vix est quod addam [2]).

---

1) Cf. Fritzsche in Comment.

2) Cf. Roemer l. l. p. 188.

Schol. Rav. ad vs. 877. *ὀξυμερίμνοις: τοῖς μετὰ σκέψεως εὑρισκομένοις καὶ ἀφανέσι.*

Praefero quod ceteri codd. exhibent: ἀσαφέσι. cf. schol. ad vs. 61, vss. 927,1122.

Schol. Rav. ad vs. 890. Quamquam quin Ruth. huic vs. recte subjunxerit quae in cod. legebantur ad vs. 459, nullus dubito, de ceteris tamen ad vs. sequentem adscriptis satis mihi non constat. Verba enim: *σημειωτέον ὅτι ἰδιώτης λέγεται ὁ πρὸς γένος ἴδιος καὶ* <*ὁ*> *ἀμαθής*, minus apte hic, cum de deis sermo fiat, se habere nemo non videt Qui tandem de novis illis deis dici potest, Euripidis consanguineos eos esse? Siquis putet poetam secundum scholiastam in voc. *ἰδιώτης* duplici significatione lusisse, nimis tamen expressum illud πρὸς γένος mihi videtur. Quapropter ad vs. 459 haec pertinere opinor. Fortasse ut haec annotaret insolito vocis usu inductus est scholiasta. Cum ceteris codd. legendum est: *ἀντὶ τοῦ τοὺς ἰδίους, τοὺς πολίτας. σημειωτέον δὲ ὅτι καὶ ἰδιώτης λέγεται κτλ.* cf. Suid. s. v. *ἰδιῶται* (ubi *καὶ* manifesto excidit), Etym. M. p. 466, 10.

Schol. ad vs. 891. (Dübn. p. 300b. 26) *τοῖσιν ἰδιώταις θεοῖς: τινὲς ἐν τῷ θεοῖς δύο τιθέασιν (i. e. personae mutationem statuunt)* [1] *ἵνα ᾖ ἐν τὸ, ἴδιοι τινές σοι κόμμα καινόν.*

A contextu prorsus aliena haec esse atque ad vs. 889 pertinere, ut jam observavit v. Leeuwen, liquido patet.

Schol. Rav. ad vs. 892. *αἰθὴρ ἐμὸν βόσκημα: χαρακτηρίζει* Εὐριπίδην *εὐεπίφορον ὄντα ἐπὶ τὸ ὀνομάζειν αἰθέρα* <*τὸν ἀέρα*>.

Haec adjeci coll. schol. ad Nub. vs. 570, Etym. M. p. 33, 9. Ruth. vertit: *to address, nomine vocare, appellare.* Quae quidem notio apud Homerum satis frequens est, apud posteriores contra,

---

1) Cf. schol. ad vss. 28, 51, 314, Acharn. vs. 899.

sicubi inveniatur, rarissima; neque in scholiis verbum hoc sensu praeditum me legere memini. Hac notione graecum est: *ἀνακαλεῖσθαι.* Articulo quoque carere non potuissemus. — Saepius hujus vocis tragicis, Euripidi imprimis [1]), carae usum facetiis suis perstringit comicus. Cf. Ran. vss. 100, 311, 1352; Thesmoph. vs. 272.

Ib. *στρόφιγξ: ἀπὸ τοῦ συστρέφειν αὐτὸν καὶ πανουργεύεσθαι.*

Perperam cod. Rav. secutus est Ruth.; recte Dind.: *ἀπὸ τοῦ στρέφειν.* cf. schol. ad Nub. vs. 792.

Satis obscura Rutherfordi versio est neque recte locum interpretatum eum esse existimo: *From the involution and „malice" of his style.* Non enim ad Euripidis dicendi genus haec spectare, sed ad animi ingeniique indolem, documento est, nisi fallor, voc. *πανουργεύεσθαι.* cf. vs. 827.

De verbo *στρέφειν* metaphorice adhibito cf. Ran. vs. 957, Acharn. vs. 385.

Schol. Rav. ad vs. 911. i. f. *ἕνα γέ τινα καθῖσεν κτλ.: <ἐν Φρυξὶν ἢ Ἕκτορος λύτροις> οὐδὲν ὁ Ἀχιλλεὺς φθέγγεται.*

E praegressis haec inseruit Ruth.; falso tamen. His enim Vita Aeschyli diserte obloquitur: *ἐν δὲ δὴ τοῖς Ἕκτορος λύτροις Ἀχιλλεὺς ὁμοίως ἐγκεκαλυμμένος οὐ φθέγγεται πλὴν ἐν ἀρχαῖς ὀλίγα πρὸς Ἑρμῆν ἀμοιβαῖα.* Praeterea in schol. antecedenti dicitur: *ὁ Ἀχιλλεὺς καθήμενός ἐστι καὶ οὐκ ἀποκρινόμενος κτλ.* Minime igitur Achillem semper tacitum in scena sedisse perhibet, sed hoc tantum, eum interrogatum non respondisse. Hisce tamen verbis, si omnino in dramatis initio Achilles tacuisset, scholiastam usurum fuisse nego. Scripsisset e. g. *οὐ φθεγγόμενος, σιωπῶν* vel simile quid. — Quam ob rem Rutherfordi conjecturam rejicio. Schol. nostrum mutilum ad longiorem codicis Ven. annotationem revo-

---

1) Cf. Io vs. 1445; Alc. vs. 604; El. vs. 997; fr. 839, 877, 919, 941.

candum esse suspicor, ad hacce scil.: ἢ τὸν (Ἀχιλλέα) ἐν Μυρμιδόσιν ὃς μέχρι τριῶν ἡμερῶν οὐδὲν φθέγγεται.

Schol. Rav. ad vs. 917. ἢ νῦν οἱ λαλοῦντες: ὅτι οἱ πολλοὶ ἐν σκηνῇ ἐλάλουν.

Ruth. vertit: *observe that the common people talked in the theatre*, addens hoc schol. unum esse ex iis, quae mores vitae quotidianae veterum illustrant. Attamen ejus versio probari nequit. Nusquam, quod sciam, vox σκηνή usurpatur pro: *theatro*. Valet: *scena*, *pulpitum* vel *actio scenica* [1]). Haec si sequaris schol. huc non pertinere quivis videt. A vs. 952 id aberrasse equidem suspicor, ita ut explicaverit lemma: δημοκρατικὸν γὰρ αὔτ' ἔδρων. cf. schol. ad hunc vs. Verte: *quia homines ignobili loco nati in scena loquebantur.* — Pro hac mea conjectura fortasse facit, quod schol. in ima pagina sic legebatur; qui frequens fons errorum est, ut nemo nescit.

Schol. Rav. ad vs. 922. alt. schol. σκορδινᾷ: σκορδινᾶσθαι γίνεται περὶ τοὺς ἐγειρομένους ἐξ ὕπνου ὅταν χασμώδεις ὄντες ἐκτείνοιεν τὰ μέλη· ὅπερ συμβαίνει καὶ περὶ τοὺς ἄλλως πως βασανιζομένους καὶ διαστρεφομένους τὰ μέλη.

Primum cum Dind. legendum est: ἐκτείνωσι, deinde ultima non bene disposita esse mihi videntur. Nemo enim, nisi fallor, verba ἄλλως πως locum suum hic non tenere negabit, siquidem in praecedentibus nihil de quaestione vel interrogatione occurrit. Etiamsi Rutherfordum sequaris, qui satis libere vertit: .... *the same sort of restless movement as comes upon you when put out in any way and inclined to writhe*, in contextu exspectaveris: ὅπερ συμβαίνει καὶ ἄλλως πως περὶ τοὺς κτλ. A Ruth. vero dissentiens interpretor: .... *quod etiam accidit illis quorum membra in quaestione cruciatibus distorquentur.* Scholiastam de membris cum oscitatione extensis,

---

1) Inversa sane ratione θέατρον ponitur pro: σκηνή, schol. ad Equit. vs. 148; Vesp. vs. 1291.

taedii documento, non cogitasse luculenter testatur verbum *διαστρέφεσθαι*, quod ponitur de iis quae per vim fiunt [1]). — Ceterum sine jactura ultimis careremus, nisi forte expungenda sint verba: *τὰ μέλη*, utpote inepte repetita, voc. *διαστρεφομένους* vero improprie accipiendum sit. Cui suspicioni vide ne ansam praebeat glossema subobscurum Hesychii s. v. *σκορδινᾶσθαι*: . . . . *ὅπερ καὶ περὶ τοὺς ἄλλως πως βασκανιζομένους καὶ διαστρεφομένους ἔξω μελῶν γίνεται.*

Schol. Rav. ad vs. 928 *Σκαμάνδρους κτλ.*: *χαρακτηριστικὸν καὶ τοῦτο ὅτι πολὺς Αἰσχύλος ἐν τῷ ποταμοὺς καὶ ὄρη λέγειν.*

Ruth. annotat: *The καὶ ὄρη presents a difficulty*, existimans ad variam lectionem pro *τάφρους*, quam nunc ignoramus, haec spectare aut scholiastam in lemmate *ἡπαστπίδων* latere genitivum substantivi *Ἴδη* perperam opinatum esse, ita ut fortasse legerit: *αἶπός τ' Ἰδῶν.* Priori sententiae assentior, praesertim cum voc. *τάφρους* apud poetam minus bene quadrare persuasum mihi sit. Quamquam in commentario v. Leeuwen recte dicit multum ad rem non facere quod observarunt recentiores, Scamandri nomen apud Aeschylum saepius occurrere nec ipsum nomen Euripidem hic vituperare, sed exempli causa afferre, ut unde Aeschylus materiem dramatum potissimum petiverit significet, mirum tamen mihi videtur voc. *τάφρος* eum adjunxisse, quod semel tantum apud Aeschylum inveni [2]). Nisi nomen proprium idque montis excidisse statuere malis (quod verisimile puto, licet quod proponam habeam nullum), certe voc. quodammodo *χαρακτηριστικόν* Aeschyli exspectaveris, minimeque id ipsum voc. quod apud eum, qui alteri insultat admodum est frequens [3]), apud eum vero cui insultat rarissimum. Ecquid apud poetam scholiasta legerat: *τάφους*? Qua voce saepis-

---

1) Cf. Equit. vs. 175; Av. vs. 178; Acharn. vs. 15.

2) Sept. vs. 89.

3) Phoen. vss. 714, 1100, 1188; Alc. vs. 919; Rhes. vss. 111, 213.

sime usus est Aeschylus [1]), neque minus quam vox *τάφρος* argumenta ejus proeliorum caediumque plena in memoriam nobis revocat. In mente fortasse habebat hos Aeschyli vss. (Choeph. 362 sqq.): *μηδ' ὑπὸ Τρωΐοις | τείχεσι φθίμενος, πάτερ, | μετ' ἄλλῳ δουρικμῆτι λαῷ | παρὰ Σκαμάνδρου πόρον τεθάφθαι κτλ.* —

Jam scholii difficultatem me non sustulisse non ignoro, sed tamen lucis aliquid afferre fortasse mihi contigit scholio obscuro insequenti: *ζητεῖται ποῦ μᾶλλον συναπτέον τὸ ἠπασπίδων ἐπόντας ἢ τοῖς ἄνω ἢ τῷ γρυπαέτους χαλκηλάτους.* Mea enim suspicione admissa, aliquanto magis credibile fit scholiastae mentem assecutum esse Dobraeum [2]), qui censet eum quaesivisse an virgula distinguendum sit post: *ἢ 'π' ἀσπίδων ἐπόντας*, atque haec ita intellexisse: *mortuos in clypeo gestatos.* Nam si praecederet *τάφους*, non ita difficulter explicaretur scholiastam de recta verborum conjunctione dubitasse. — Sin minus, scholiastae dubitatio mihi quidem plane inexplicabilis est.

Schol. Rav. ad vs. 938 παραπετάσμασι τοῖς Μηδικοῖς: τοῖς Περσικοῖς βήλοις.

Cf. Zon. s. v. *βηλός: . . . . λέγεται καὶ τὸ ἱστίον Ῥωμαϊστί* [3]), Suid. s. v. *παραπέτασμα: . . . . παράπλωμα, τὸ λεγόμενον βῆλον* (velum subsidiarium?). — Praeterea in scholiis hasce voces Latinas, quales etiam apud Patres Ecclesiae multae inveniri possunt [4]), notavi: *βουρδονάριος* ad Thesmoph. vs. 491; *ἄρουλλα* ad Acharn. vs. 888; *φοῦρνος* ad Nub. vs. 96; *ἐκσκέπτωρ* (exceptor) ib. 770; *σκουτάριον* ad. Plut. vs. 450; *σουδάριον* ib. 729.

Schol. Rav. ad vs. 944. Κηφισοφῶντα: ὅτι ἐδόκει δοῦλος ὢν ὁ Κηφισοφῶν συμπονεῖν αὐτῷ καὶ μάλιστα τὰ μέλη κτλ.

---

1) Cf. in sola Orestia, Ag. vss. 512, 1310; Choeph. vss. 167, 335, 351, 486, 499, 538, 893; Eum. vss. 601, 770.

2) l. l. p. 173; in schol. legendum esse putat: *ἢ 'π' ἀσπίδων ἐπόντας.*

3) Perperam s. h. v. haec leguntur; novo lemmati: *βῆλον* adjungenda sunt.

4) Cf. Sophocles Greek Lexicon of the Rom. and Byz. periods, praef. p. 26.

Corrige: συμποιεῖν. cf. schol. ad vs. 1408, hos vss ex Vita quadam Euripidis: Κηφισοφῶν ἄριστε καὶ μελάντατε | σὺ δὲ συνέζης εἰς τὰ πόλλ' Εὐριπίδῃ | καὶ συνεποίεις, ὥς φασι, τὴν τραγῳδίαν, Diog. L. II, 5, 2 de Socrate: ἐδόκει δὲ συμποιεῖν Εὐριπίδῃ. Minus aptum verbum συμπονεῖν esse patet, cum πονεῖν de rebus molestis ponatur; ποιεῖν et συμποιεῖν vero de arte poetica praesertim in usu sunt cf. schol. ad vs. 1400, ad Acharn. vs. 412, passim [1]).

In fine cod. Ven. haec addit: ἕτερος δέ ἐστι Κηφισοφῶν ὁ καὶ τὸ ψήφισμα εἰσενεγκὼν ὑπὲρ τοῦ εἰρχθῆναι τῆς ἐν πρυτανείῳ σιτήσεως *, quibus lacunae signum apposui. Non dubito, quin objecto opus sit. De hujusmodi autem Cephisophontis cujusdam rogatione nihil, quod sciam, innotuit itaque quae supplenda sint pro certo firmare non possumus. Attamen in schol. ad Eq. vs. 575 de Cleaeneto, Cleonis patre, haec leguntur: . . . . οἱ δὲ ὅτι οὗτος ἔγραψε ψήφισμα μὴ δεῖν δοθῆναι τοῖς στρατηγοῖς σίτησιν. Quae cum schol. nostro cohaerere satis probabile existimo. Quod enim cum Cleaeneti nomine hanc legem junxerunt, hujus rei ipse ille locus parum intellectus causa esse videtur. Talem vero legem aliquando latam esse facile credam, siquidem saepius homines nequiores hoc beneficium malis artibus petivisse, praeter l. l. ex Aristophanis Equitibus, etiam testatur Aeschin. Or. in Ctes. § 178. — Quare verisimile mihi videtur addendum esse: <τοὺς στρατηγούς>. Num recte vero ad Cephisophontem quendam auctorem hanc legem rettulerint, dijudicari nequit, cum plures hujus nominis homines fuerint nec hac de re praeterea quidquam compertum habeamus [2]).

Schol. Rav. ad vs. 951. ταὐτά: ἀντὶ τοῦ τὰ αὐτά.

Huc Ruth., perperam opinor, transposuit quae ad vs. praece-

---

1) Apud ipsum comicum frequentissimum est verbum. Cf. Ran. vss. 79, 936, 963, 1021, 1023; Thesmoph. vss. 150, 158, 193 e. a.

2) De jure epulandi in Prytaneo cf. Schoell Herm. VI. p. 14 sqq.

dentem adscripta erant. Qui scholiasta vs. 951 *ταὐτά* legere potuerit, non assequor; quae foret lectio omni sensu cassa. Deinde in cod. haec sequuntur, quae Ruth. loco non movit: *καὶ εἰς τοῦτο κωμῳδεῖται Εὐριπίδης ὅτι ἀδιαφόρως* (Ruth.) *τοῖς προσώποις ἀνοικείους λόγους περιτίθησιν.* Quae ad textum nostrum non quadrare quivis videt. Ex eo enim, quod numquam in Euripidis fabulis omnes personae taciti adsidebant, effici non licet etiam *ἀνοικείους λόγους* locutas eas esse. — Nisi egregie fallor, ad variam lectionem scholium spectat [1]), e g.:

ἀλλ' ἔλεγεν ἡ γυνή τέ μοι χὠ δοῦλος οὐδὲν ἧττον
χὠ δεσπότης χἠ παρθένος χἠ γραῦς ἂν ταὐτά.
Αἰσχ. *κᾆτα*
οὐκ ἀποθανεῖν σε ταῦτα χρῆν τολμῶντα;

Quam lectionem omnino rejiciendam esse non arbitror [2]). Vide ne melius cum vss. sequentibus haec congruant. Causa enim cur morte affici deberet esse non potuit quod et heros et servos loquentes induxerat neque hoc fecisse indolis popularis jam est documentum, sed quod in tragoediis de iisdem rebus, aeque libere ingenueque ac heri, servi disserebant, neque ullum personarum conditionis discrimen faciebat tragicus. cf. Acharn. vs. 400, schol. ad vs. 952: .... *οὐ γὰρ καλὸν ἐξ ἴσου τοὺς δούλους τοῖς δεσπόταις παρρησιάζεσθαι.*

Schol. Rav. ad vs. 961. *οὐκ ἐκομπολάκουν κτλ.*: <*οὐ*> *τὴν φρόνησιν αὐτῶν ἀφειλόμην* *.

Hiatus signum addidit Ruth., scholium a vs. insequenti, lemmate *ἐξέπληττον*, huc trajiciens. Quod argumentum ad hanc muta-

---

1) Roemer l. l. p. 189 de hoc scholio censet: „das es eine Erklärung von *οὐδὲν ἧττον* war, die durchaus sinngemäss!

2) De *κᾆτα* cf. vss. 203, 647; Pac. vs. 369.

tionem defendendam afferri possit, plane me latet. Optime ad vs. 962 se habebat nihilque desideratur. cf. Hesych. s. v. ἐκπαγλούμεναι: ἐκπληττόμεναι, μαινόμεναι; Zon. s. v. ἔκπληξις: ἀσυνεσία καὶ φόβος ἐξ ἀσυνήθους φαντασίας.

Schol. Rav. ad vs. 965. Φορμίσιος: βαθυ<γένειο>ς ἦν καὶ καθίει τὸν πώγωνα.

Quamquam cum Ruth. textum corruptum judicans rem eum acu tetigisse non credo.

Fecit enim ut eadem fere bis diceret scholiasta. Pessime autem Dind. et Dübn. vulgatam retinuerunt. Cum Blaydesio legendum esse equidem opinor: δασύς, *comatus*. cf. schol. ad Eccl. vs. 97.

Ex praegressis enim: ὅτι Φορμίσιος δραστικὸς ἦν καὶ τὴν κόμην τρέφων καὶ φοβερὸς δοκῶν εἶναι, tale quid hic desiderari facile apparet [1]). Nisi aliquot literas excidisse ratus legere malis: βαθύθριξ vel βαθυκόμης.

Schol. Rav. ad vs. 966. — ὑπηνάδαι: τοῦτο εἰς τὸν Φορμίσιον ἀνατείνει κτλ.

Recte, opinor, Dind.: ἀποτείνει. Nusquam alias ἀνατείνω pro *designo*, *refero ad aliquem*, inveni, saepius sic legitur ἀποτείνω. e. g. schol. ad Nub. vs. 1091 [2]). Fortasse etiam praestat: ἀποτείνεται. cf. schol. ad Acharn. vs. 416; Soph. Electr. vs. 62; Eur. Androm. vs. 757.

Schol. ad vs. 970. (Dübn. p. 302 b 29) οὐ Χῖος ἀλλὰ Κῖος: .... Ἀρίσταρχος δὲ ὡς γεγραμμένου Κῷος ἐξηγεῖται· ὅτι πρὸς τὸ Κῷος εἰσήγαγε τὸ Χῖος. τὸν γὰρ ἀντίστροφον τῷ Χίῳ λέγεσθαι.

Cod. Ven. exhibet τὸν γὰρ τὸν ἀντίστροφον. Ex Aristarchi lectionis

---

1) De adject. δασύς cf. Eccl. vs. 61; de verbo δασύνεσθαι Eccl. vs. 66; schol. ad Acharn. vs. 791.

2) Subst ἀπότασις legitur Av. Argum. II. (Ruth. p. 422 al. 7); schol. ad Soph. El. vs. 1070.

suae defensione desumpta haec esse patet, detorta vero ejus argumentatio videtur. Transpone et corrige: .... ὅτι πρὸς τὸ Χῖος εἰσήγαγε τὸ Κῷος. <τοῦ>τον γὰρ <τὸν> ἀντίστροφον τ. Χ. λ. Valet autem ἀντίστροφος idem quod apud Poll. IX. 100 ἀντικείμενος.

Schol. Rav. ad vs. 995. τῶν ἐλαῶν: <τοῦτο λέγει παρ' ὑπόνοιαν> ἐπεὶ εἶπεν ὁ Διόνυσος: „τίς τῆς ἐλάας παρέτραγεν;"

Non sine causa fortasse haec inseruit Ruth., minime tamen certa mihi videntur. Priora a sequentibus discernens, ratus nimirum vocem ἐλαῶν lusum verborum continere, haec sic legit: <παρὰ> (Ven.) τὸ <τίς τῆς ἐλάας> παρέτραγεν; παίζων ὁ χορὸς τοῦτό φησιν. Qua conjectura si supersedemus, aliter scholium explicari posse videtur. Fieri enim potest ut scholiasta imaginem, vs. 994 sq., non intellegens conjunxerit: ἁρπάσας τῶν ἐλαῶν, itaque in ultimis nihil supplendum sit. Hac ratione etiam defendi possunt, me judice, quae uno tenore Dind. et Dübn. ediderunt: .... ἢ ἐπεὶ — παρέτραγεν; παρὰ τὸ παρέτραγεν παίζων ὁ χορὸς τοῦτό φησιν: μή σ' ὁ θυμὸς κτλ.[1]).

Schol. ad vs. 1028 (Dübn. p. 304. 2) .... τινὲς δὲ γράφουσι Δαρείου τοῦ Ξέρξου· οἱ δὲ ὅτι τοῖς κυρίοις ἀντὶ τῶν πατρωνυμικῶν κέχρηνται, καὶ ὅτι ὁ Ξέρξης, οἱ δὲ ὅτι εἴδωλον Δαρείου φθέγγεται, ἐκείνου τεθνηκότος δηλονότι.

Partim cum Fritzschio emenda: τινὲς δὲ Δαρείου <ἀντὶ> τοῦ Ξέρξου, ὅτι — κέχρηνται. Perperam enim, siquidem in poetae verbis patronymicum nullum legitur, etiam haec transposuit: ὅτι τοῖς πατρωνυμικοῖς ἀντὶ τῶν κυρίων κέχρηνται. — Egregie vero cetera idem correxit: οἱ δὲ ὅτι ζῇ ἔτι ὁ Ξέρξης καὶ ὅτι εἴδωλον Δαρείου φθέγγεται ἐκεῖ, τεθνηκότος δηλονότι, nisi quod Dobraei emendationem ἐκείνου retinere mallem.

Schol. ad vs. 1035. (ib. 24) χρήστ' ἐδίδαξε: τινὲς συναλοιφὴν λέγουσι.

---

1) Iterum haec considerans in audaci Rutherfordi conjectura probabilitatem quandam inesse concedo; videant docti.

Inepta hoc certe loco haec esse quivis statim videt. Vitiose huc trajecta esse, cum olim ad vs. 1056 pertinebant, suspicor, ubi haec leguntur: *πάνυ δὴ δεῖ χρηστὰ λέγειν ἡμᾶς*. Ita ut ex scholio appareat alios non male distinxisse: *χρήστ' ἀλέγειν*. cf. vs. 1030.

Schol. Rav. ad vs. 1051. *κώνεια: ὅτι πληθυντικῶς κώνεια ἕνεκα τοῦ πολλὰς εἶναι <τὰς πιούσας>.*

Addidi quae sententia requiritur.

Schol. ad vs. 1068. (Dübn. p. 304 b 44) *παρὰ τοὺς ἰχθῦς ἀνέκυψε: . . . . Φησὶν οὖν ὅτι ἀναφαίνεται περὶ τὰ ἰχθυοπώλια ἀγορασείων.*

Quae rationes Dindorfium, ut satis inepte *ἀγορασείων* scriberet, moverint, me non assequi libenter confiteor. Nihil video quod obstet quominus servemus lectionem codicis Rav.: *ἀγοράζων* vel cum cod. Ambros. legamus: *ἀγοράσων*.

Schol. Rav. ad vs. 1073. *ῥυππαπαῖ: ἐπίφθεγμα ναυτικὸν παρασκευαστικὸν τῆς κωπηλασίας τὸ ῥυππαπαῖ.*

In codice post *παρα* — literae nonnullae, teste Ruth., legi nequeunt [1]); Ald. dedit: *παρακελευσματικόν*, quod propius vero duco. Collatis vero scholiis ad Lys. vs. 1303 et Vesp. vs. 909 praefero quod proposuit Bernhardy [2]): *παρακελευστικόν*, quod literarum numero quoque melius cum spatio vacuo congruere videtur. — Denique vide quae ad schol. vs. 180 observavi.

Schol. ad vs. 1093. (Dübn. p. 305 b 12) *κᾆθ' οἱ Κεραμῆς: . . . . τοῦτο δέ φησιν Εὐφρόνιος ὅτι ἀπὸ τοῦ ἐν τῷ Κεραμεικῷ ἀγῶνος τῆς λαμπάδος, καὶ τοὺς ὑστάτους τρέχοντας ἀπὸ τῶν ἀγοραίων τύπτεσθαι πλατείαις ὑπὸ τῶν νεανίσκων χερσί· καὶ λέγονται οἱ τοιαῦται Κεραμεικαὶ πληγαί.*

Audacter, parum tamen feliciter, me judice, contextum restituere conatus est Fritzsche: *τοῦτο δὲ ὅ, τι <ἐστὶ, δῆλον> ἀπὸ τοῦ — λαμ-*

---

1) Codicis editionem phototypicam consului; quot tamen literae interciderint affirmare nequeo.

2) Ad Suid. s. v. *ῥυππαπαῖ.*

πάθος. καί φησιν Ἐ., τοὺς ὑστάτους τρέχοντας τῶν νεανίσκων ὑπὸ τῶν ἀγοραίων τύπτεσθαι πλατείαις χερσί. In quibus valde mihi displicent illa: ὑπὸ τῶν ἀγοραίων. Pro quibus Jacobi, probante Blaydesio, scripsit: ἀπαγορευόντας, quod certe praestat. Minus tamen aptum et hoc post τοὺς ὑστάτους τρέχοντας mihi videtur. Equidem propono: Εὐφρόνιος· ὅτι — λαμπάδος. καὶ τοὺς ὑστάτους τρέχοντας τῶν ἀγωνιστῶν τύπτεσθαι κτλ. cf. Hesych. s. v. Κεραμεικαί: . . . . ἀγὼν γὰρ . . . . ἐν ᾧ τύπτουσι πλατείαις χερσὶ τοὺς μὴ τρέχοντας καὶ τοὺς ἄλλους (corr. φαύλους?) ἀγωνιστὰς γέλωτος χάριν; Phot. s. v.: τοὺς γὰρ ῥαθύμως τρέχοντας τύπτουσιν.

Schol. Rav. ad vs. 1114. τὰ δεξιά: δεξιοὺς νομίζουσι τοὺς στρατευομένους καὶ ἐπαίνου ἀξίους, τοὺς δὲ διαδράσκοντας τὰς στρατείας φιλοδίκους εἶναι καὶ συκοφάντας. [ἢ τὸ ἐναντίον· ἵνα ᾖ πάντες οἱ ἀμαθεῖς ἔξω ἐστρατευμένοι εἰσί].

Huic lemmati Ruth. haec adscripsit in annotatione addens ad contextum, quem nunc habemus, vix ea quadrare. Et recte quidem ille, quamquam in assignando ea vs. 1114 errasse videtur. Ex iis enim quae injuria delevit et ex codicis Ven. lectione: ἐστρατευμένους pro στρατευομένους, luce est clarius ad vs. praecedentem haec pertinere, ad lemma scil. ἐστρατευμένοι γάρ εἰσι. Ultima enim explicationem recentioris cujusdam commentatoris continent, qui hos vss. inepte ita interpretatus est: *Hoc enim tempore in expeditionem profecti sunt*, *qui vero nunc adsunt omnes libellum manu tenent.* — Expungenda autem mihi videntur verba τοὺς δὲ διαδράσκοντας — συκοφάντας, utpote ab hoc loco aliena. Postea addita esse opinor cum, scholio jam loco suo moto, subjectum verbi νομίζουσι (scil. choreutae) amplius non agnoscerent. cf. Suid. s. v. δεξιούς, qui absurde exhibet: δεξιοὺς ἔλεγον οἱ παλαιοὶ κτλ.

Schol. Rav. ad vs. 1116. παρηκόνηνται: παροξυμμένοι εἰσίν.

Quae causae, ut hanc lectionem servaret, Rutherfordum moverint non assequor. Cum Dind. recipiendum puto: παρωξυμμένοι,

quam formam et ipse Ruth. restituit in schol. ad Plut. vs. 301 [1]). Cf. Etym. M. p. 51. 40; 798. 19.

Schol. Rav. ad vs. 1126. Ἑρμῆ χθόνιε κτλ.: τὸ πατρῷα κεκίνηκεν τὴν ἀμφιβολίαν· ἤτοι γὰρ τὰ τοῦ ἐμοῦ πατρὸς Ὀρέστης φησὶν ἢ τὰ καθ' Ἅιδου λέγει πατρῷα κράτη τοῦ Ἑρμοῦ, καθ' ἃ καὶ χθόνιος ὁ Ἑρμῆς.

Transponendum est: ἢ πατρῷα τὰ καθ' Ἅιδου λέγει κράτη τοῦ Ἑρμοῦ κτλ.

Ad vss. 1131—36. Magnas hi versus difficultates editoribus pepererunt, quorum alii aliis modis nodum expedire conati sunt. Qui tamen plerumque parum, me judice, observarunt hos vss. ut in scena pronunciarentur compositos fuisse, non ut legerentur [2]). Quod si consideramus, lenioribus remediis locum sanari posse arbitror. — Unus Blaydes nihil mutavit, qui simul tamen tacitus difficultatem praeterit, quam vs. 1132 praebent verba: Αἰσχύλε, παραινῶ σοι σιωπᾶν, cum Aeschylus nihil adhuc respondit. Fritzsche, vs. 1136 ante vs. 1135 collocans, edidit:

> Αἰσχ. ἐγὼ σιωπῶ τῷδ'; Διον. ἐὰν πείθῃ γ' ἐμοί.
> Αἰσχ. ὁρᾷς ὅτι ληρεῖς; Διον. ἀλλ' ὀλίγον γέ μοι μέλει.

Sic tamen et altera Aeschyli quaestio et Dionysi responsio satis inepta mihi videtur, cum nihil quod hujus quaestionis causa esse aut submissam dei responsionem explicare possit, interea actum sit. Adde quod eadem in voc. σιωπᾶν molestia manet. Quam molestiam ut tollerent Kock et v. Velsen, Bergkium secuti, vs. 1136 post vs. 1131 trajecerunt ulteriorem partem Euripidi tribuentes. Qui tamen Aeschyli verba: ὁρᾷς ὅτι ληρεῖς sic explicanda

---

1) Quem nunc in Corrig. denuo legere jubere video: ὀξυμμένον.

2) Rectissime v. Leeuwen in comoediis explicandis ante omnia necessarium hoc esse observavit, quod tamen critici, comicum φιλολόγως tractantes, saepe non satis reputaverunt. Vide quae disseruit Mnemos. 24 p. 106 sqq.

erunt? Quae vix ac ne vix quidem intellegimus, nisi Euripidi nunc Aeschylum exprobrare sumimus, ratiocinandi imperitissimum eum esse, quippe qui postquam in tribus vss. ab Aeschylo laudatis πλεῖν ἢ δώδεκα se reprehendere dixerit, statim adjunxerit singulos vss. viginti minimum vitia continere. Quod ne facetum quidem esse existimo nec quidquam nisi insulsas argutias ab hoc loco alienissimas. Neque cum Euripidis ingenio bellicoso congruit tam placide adversarii insectationem eum tulisse. Praeterea mirum est, quod Aeschylus post haec: ἐγὼ σιωπῶ τῷδ'; deo morigeraturum itaque taciturum se esse non negat et tamquam nihil dictum sit deinde se gerit. — v. Leeuwen vss. 1132—35 delevit Meinekium secutus (nisi quod hic vs. 1136 etiam seclusit), etiam Euripidi vs. 1136 b tribuens. Contra quem igitur quae modo dixi quoque valent. Neque magis in delendis his versibus ei assentior. Optime enim servari possunt, ut mea fert opinio, excepto uno vs. 1133, qui vs. satis explicatus nondum est [1]). Postea additus esse videtur cum interpretationem, quam unice veram habeo, jam non novissent. Restat ut de uno adhuc scrupulo disseram. Vs. 1134 nimis similem esse vs. 1229 censent viri docti. Nihil tamen obstare video quominus et hic et ille vs. serventur, dummodo adversarium imitantem Euripidem ficta indignatione vs. 1229 pronunciasse sumamus. Sin autem hanc explicationem probare nequeas, equidem vs. nostri patrocinium potius suscipiam. Hic enim, post prudens Dionysi consilium, Aeschylum haec respondere nihil offensionis habet. Euripidem autem vs. 1229 ineptiarum dei rem in ridiculum detorquentis serio rationem habere, absurdum videtur. cf. vs. 1243. Vs. 1134 igitur illi anteponere non dubito. — Ego apud poetam legere praetulerim vs. 1131 sqq.:

---

1) Cf. v. Herwerden Mnemos. 24 p. 285 sq.

Εὐρ. ἔχει δ' ἕκαστον εἰκοσίν γ' ἁμαρτίας.
Διο. Αἰσχύλε, παραινῶ σοι σιωπᾶν· εἰ δὲ μή —
Αἰσχ. ἐγὼ σιωπῶ τῷδ'; Διο. ἐὰν πίθῃ γ' ἐμοί.
Εὐρ. εὐθὺς γὰρ ἡμάρτηκεν οὐράνιον ὅσον.
Αἰσχ. ὁρᾷς ὅτι ληρεῖς; Διο. ἀλλ' ὀλίγον γέ μοι μέλει.
Αἰσχ. πῶς φής μ' ἁμαρτεῖν κτλ.

Quae sic interpretor: Postquam Euripides dixit vss. ex Choephoris allatos vitiis scatere, Aeschylus furore magis magisque incensus iram se vix continere gestibus ostendit. Quod animadvertens Dionysus praevertit eum, id agens ut a vehementia ad tranquillitatem ejus animum flectat. Ille tamen, sui vix compos, eum interpellat truculenter rogans: *Huiccine me tacere putas*? Quem nunc Euripides iterum vexat stimulatque, ita ut Aeschylus ad deum se convertens dicat: *Nonne jam vides*, *quod hariolaris*? (ipse enim ad certamen me provocat.) Cui Dionysus demisse respondet: *Parvi mea refert*. (scil. me nihil dixisse). Altercatio deinde continuatur, neque amplius eum respicit Aeschylus. — Quae dei ingenio jam antea stipitis partes agentis [1]) accommodatissima sunt. Hanc explicationem admodum simplicem esse nec quidquam artificiosi habere existimo, dum vss. ita servantur ad personarum indoles aptissimi. Accedit quod facile perspectu non est quomodo ab interpolatore procreati esse possint aut unde irrepserint [2]). — Quod ad scholia, prorsus sensu vacuum est prius schol. ad vs. 1136 (Dübn. p. 306. 30): ὁ Αἰσχύλος φησὶ πρὸς τὸν Διόνυσον ὡς ἀπατώμενον ὑπὸ Εὐριπίδου. διὸ ἐπιφέρει Διόνυσος „ἀλλ' ὀλίγον γέ μοι μέλει". Nullo enim modo Euripides vs. 1135 Dionysum ludibrio habuisse potest. Qua propter restituendum suspicor: ἀπατώμενος. Num

1) Cf. vs. 917 sq., 934, infra vs. 1169.
2) Cf. Kock ad vs. 1133.

recte tamen locum interpretatus sit scholiasta, quamquam partes bene dividens, ex hisce verbis effici nequit. Falsa vero sunt, quae statim sequuntur (ib. 33), recte contra, in personarum saltem distributione, se habet ultima sententia: σὺ φροντίζω φησὶ κἂν λέγῃς ὅτι ἥμαρτεν, ubi fortasse ἥ μ α ρ τ ο ν reponendum est.

Schol. Rav. ad. vs. 1144. ἐριούνιον: πρὸς τὴν ἐκδοχὴν τοῦ ἐριούνιος ὅτι οὐκ ὀρθῶς.

Rutherfordum in annotatione scholiastae mentem perspexisse persuasum mihi est, in lacuna tamen statuenda ab eo dissentio. Nihil in fine desideratur. Cohaeret hoc scholium cum magna inter veteres de vocis ἐριούνιος sensu discrepantia. Annotatorem (qui vss. 1145 post Ἑρμῆν virgula fortasse distinxit) ex iis fuisse, qui explicarent: ἀγαθός, μεγάλως ὀνίσκων, manifestum est; obloquitur aliis, qui ἐριούνιος et χθόνιος idem propemodum significare putabant. cf. quae affert testimonia Blaydes in Comment.

Schol. Rav. ad vs. 1149 i. f. πρὸς πατρὸς τυμβωρύχος: οἷον τυμβωρύχος πατρός.

Sic Ruth. ex conjectura; perperam sine dubio. Recte autem Dind. et Dübn. quod omnes codices exhibent servarunt: τυμβωρύχου πατρός, i. e. *filius patris bustirapi (libitinarii?) munere jam functi.* Eodem modo hoc dictum est atque e. g. Ἀθηναῖος πρὸς πατρός.

Schol. Rav. ad vs. 1150. Διόνυσε πίνεις οἶνον κτλ.: οἷον μεθύεις. schol. Ven.: οἷον κραιπαλᾷς καὶ ληρεῖς, σκληρὸν οἶνον πιὼν κτλ.

Ad textum nostrum satis mira haec mihi videntur; tempus praeteritum apud poetam exspectaveris. Quapropter scholiastam legisse suspicor: Διόνυσ' ἔ π ι ν ε ς οἶνον κτλ. Vinum enim generosum ac suave non ita facile ebrietatem parit atque vappa. — Utut est, scholiastam Aeschyli jocum, quo deum vini patronum petebat, non cepisse constat.

Ib. (Dübn. p. 306 b. 2) ἀνθοσμίας δὲ ὁ εὐώδης, ἐγκειμένου τοῦ ἄνθους καὶ τῆς ὀσμῆς. καὶ γέγονε παράγωγον ἀνθόσμιος καὶ ἀνθοσμίας.

Collato Suid. s. v. ἀνθοσμίας, qui partim ex hocce, partim ex schol. ad Plut. vs. 808 hausit, corrigendum est: ἀνθοσμίας δὲ ὁ εὐώδης <οἶνος> — ὀσμῆς. καὶ γέγονε παραγώγως ἀνθόσμιος κτλ. Cf. B. A. p. 403. 18; Zon. s. v. — Vide tamen ne annotator, ad voc. οἶνον adjectivum desiderans legerit: ἀνθόσμιον, itemque vs. 1. ex Pluto explicaverit. Adjectivum quidem nusquam alias occurrit.

Schol. Rav. ad vs. 1163. ὅτῳ μετῇ πάτρας: ᾧ ἐξουσία ἐστὶ τῆς πατρίδος.

Ruth.: *who has the freedom of his country*, quae per se spectata nemo, nisi fallor, intelleget.

Praeterea voc. ἐξουσία sensu qui poscitur: *jus*, *potestas aliquid faciendi*, infinitivo non adjecto graecum esse nego. Legitur quidem apud Thuc. I. 38 ἐξουσία πλούτου, verum ibi intellegendum est: *potestas*, vel: *licentia quam pariunt divitiae*, quae notio ab hoc loco aliena est.

Quapropter aut i. f. addendum est: <μετέχειν> aut corrigendum: μετουσία. cf. vs. 443; Plut. vs. 630 cum scholiis; Eccl. vs. 173; Soph. Oed. R. vs. 630; Aesch. Eum. vs. 871.

Schol. Rav. ad vs. 1178. κἄν που δὶς κτλ.: κἄν τι ἐλάχιστον [τι] ῥῆμα ἢ περισσὸν ἤ τι εὕρῃς [καὶ] παρέλκον ἐν τῷ λόγῳ.

In cod. est: κἄν τι ἐλάχιστον τι ῥῆμα ἢ περισσόν τι εὕρῃς κτλ. Ruth. annotat: *there may be two notes here.* Et jure quidem ille, ultima enim ad verba: ἔξω τοῦ λόγου spectare probabile est. Hocce igitur modo scholia distinguens lego: κἄν που δὶς κτλ.: κἂν ἢ ἐλάχιστόν τι ῥῆμα περισσόν. | ἢ στοιβὴν ἴδῃς κτλ.: ἤ τι εὕρῃς παρέλκον ἐν τῷ λόγῳ, quae correctio etiam lenior est. Perfacile enim HI et TI in ms. confundi potuerunt. Nihil autem offensionis habere potest quod et in lemmate et in scholio recepi ἤ; saepius e textu particulae in scholia recipiuntur explicationi plane supervacaneae, e. g. scholl. ad vss. 1011 et 1014.

Ad vs. 1180 sq. Ante Leeuwenium editores, inter quos viros

nonnullos judicii elegantissimi, in hisce versibus non offendisse, est quod impense miremur. Vs. 1181 enim tam inelegans est, ut duriorem apud comicum vix alium me legere meminerim. Ne Blaydes quidem simile quid afferre potest, praeter unam sententiam ex Livii Praefatione, infirmum sane in re poetica testimonium. Primus v. cl. v. Leeuwen, quantum scio, spurios hos vss. esse duxit. Quem ita sequor, ut tamen vs. 1180 retineri posse persuasum mihi habeam. Vs. 1181 vero ex scholiis conglutinatus videtur. — Uno vs. 1180 servato, ulteriora tamen Dionysi partibus minus apta sunt. Ironice enim accipienda essent; absurdum foret vertere: *Tu loquere, meum enim tantum est audire*, tamquam et ipse deus, artis poeticae imperitissimus, in medium aliquid proferre voluisset. — At strenue ac studiose verborum contentionem Dionysus hucusque rexit. Quapropter legendum esse suspicor:

Διο. ἴθι δὴ λέγ'. Αἰσχ. οὐ γάρ μοί ἐστιν ἀλλ' ἀκουστέα.

Quae sic explico: Dionysus ne nimis late eloquentiae fontes Euripides aperiat metuens, ut ad argumentum tandem revertatur eum admonet [1]): *Recita sodes.* Aeschylus deinde, quem jamdudum disceptationis pertaedet, cum adversarius in eo est ut incipiat, ad spectatores tantum non desperatis gestibus se convertens subjungit: *Etenim denuo auscultandum mihi est.* Quo modo jam supra sive gestibus sive verbis quam sibi parit indignum certamen nauseam ostendit. cf. vss. 922, 926, 1007. — Nihil video, quod huic meae explicationi obstet.

Schol. Rav. ad vs. 1190. alt. schol. *ἐξέθεσαν ἐν ὀστράκῳ: ἐπεὶ ἐν χύτραις ἐξετίθεσαν τὰ παιδία· διὸ καὶ χυτρίζειν ἔλεγον* *

Hiatum statui; coll. schol. ad Vesp. vs. 289; Hesych. s. v.

---

1) Sicut supra, vss. 1125, 1170, Aeschylum et infra, vss. 1205, 1224, 1284, Euripidem adhortatur.

ἐγχυτριεῖν; Et. M. p. 313, 39 addi potest: τὸ ἀποκτείνειν, vel potius: τὸ βλάπτειν cf. Et. M. ib. 41, Zon s. v. [1]).

v. Leeuwen ad Vesp. l. l. scholiastam errasse perhibet; propriam enim verbo *parentandi*, hinc *sepeliendi* vim fuisse, coll. Herodae Mim. V. 84: ἐπὴν δὲ τοῖς καμοῦσιν ἐγχυτλώσωμεν. Quod vero argumentum hic locus praebeat, me fugere confiteor. Neque ei assentior. Grammatici ad unum omnes χυτρίζειν et ἐγχυτρίζειν in hanc sententiam interpretantur: ἐκτιθέναι βρέφος ἐν χύτρᾳ [2]). Ab hoc verbo deinde derivatum est subst. ἐγχυτρίστρια, quod optime explicant Suid. s. v.; Et. M. l. l.: τὰς μαίας ἐκτιθείσας ἐν χύτραις τὰ βρέφη. Exhibet autem Et. M. p. 313, 41: ἐγχυτρίστριαι: αἱ τὰς χοὰς τοῖς τετελευτηκόσιν ἐπιφέρουσαι, et deinde: καὶ ὅσαι τοὺς ἐναγεῖς καθαίρουσιν αἷμα ἐπιχέουσαι ἱερείου καὶ τὰς θρηνητρίας. Hic vero vocem confusam esse cum subst. ἐγχύτρια probabile mihi est; substantivum masculinum ἐγχυτής praesumit, derivatum a verbo ἐγχέω, quod frequenter de libationibus usurpatur. Quapropter antiquitus mulieres quasdam, quae libamina solemnia sepulcris infundere solebant ἐγχύτριαι audivisse, verisimile puto [3]), quod nomen postea fortasse etiam praeficis inditum sit. Auctoris tamen loco haec corroborare mihi non contigit.

Schol. ad vs. 1227 (Dübn. p. 307. 51) ἀποπρίω τὴν λήκυθον: ἤτοι πρὸς Εὐριπίδην ὁ λόγος . . . . ἢ πρὸς Αἰσχύλον ὥστε πωλῆσαι. ὡσεὶ εἶπεν, ὤνησαι αὐτὴν καὶ ἀπόδος ἀντὶ τῆς ἀπολωλυίας.

Corrigendum est: ὥστε πώλησον. Praeterea facile patet verba ὡσεὶ — ἀπολωλυίας locum suum hic non tenere, cum de reddendo vasculo sermo nondum fuerit. Interpretamentum esse videntur vocis

---

1) Apud Zon. s. v. perperam legitur βάψαι, frustra defendente Tittmanno.

2) Cf. Hesych. bis; Pierson ad Moer. p. 138; Thom. M. s. v.; Et. M. l. l. et scholia nostra.

3) Boekh ad Plat. Min. p. 315 d. intellegit: *mulieres ossilegium procurantes.*

ἀπόδος, vs 1235 [1]). — Priora etiam ad vs. nostrum non pertinere suspicarer, quia voc. ἀποπρίω umquam tam stulte explicatum esse vix credibile est, nisi haec sequerentur, quae Ruth., rectissime lacunam statuens, supplevit: τὸ δὲ πρίω ἐν ἴσῳ τῷ ὤνησαι. <* ἀντὶ τοῦ πώλησον>, ἀλλ' ἐν τοῖς ἑξῆς φησὶν Εὐριπίδης „ἐγὼ πρίωμαι"; iterumque in scholio ad vs. 1229: δῆλον γέγονε ὅτι τὸ ἀποπρίω ἀντὶ τοῦ ἐξώνησαι. — Symmacho inventori hanc interpretationis immanitatem tribuit noster.

Schol. ad vs. 1245. (Dübn. p. 307 b 44) ἐρεῖ γὰρ ληκύθιον ἀπώλεσεν: ἐπεὶ οὐ προσέθηκε τῷ ἡμιστιχίῳ τὸ ληκύθιον ἀπώλεσεν, πεποίηκε τὸν Διόνυσον ὥσπερ ὑφαρπάζοντα τὸν λόγον.

Corrupti hujus scholii sententiam jam redintegravit v. Leeuwen [2]) restituendo: προσήρμοζε pro προσέθηκε.

Schol. Rav. ad vs. 1264. Φθιῶτ' Ἀχιλλεῦ κτλ.: Εὐριπίδης ὁμοίως τὰ Αἰσχύλου χορικὰ μέλη διεσπασμένως λέγει ἐξ ἄλλων καὶ ἄλλων δραμάτων.

Hoc scholium, in cod. vs. 1285 adscriptum, Ruth. huc transposuit. Perperam, me judice, id quod vox ὁμοίως arguit. Vertit: *Euripides in his turn recites apart from their context choric melodies of Aeschylus* etc.; attamen in praegressis nullos Euripidis versus Aeschylus laudavit, nedum e contextu evulsos. In scholio igitur exspectaveris: διασπᾷ. Hanc ob causam scholium loco suo movendum non esse opinor. Excidisse tamen αὖθις vel tale quid

---

1) Hisce autem verbis a scholio nostro amandatis, aliam quoque hujus loci explicationem, etiam alias ob causas mihi non probatam, cadere moneo, quae legitur apud O. Schneider l. l. p. 67. Qui arbitratur Symmachum (cujus essent: ὡσεὶ — ἐν ἴσῳ τῷ ὤνησαι) ἀποπρίω per brachylogiam positum esse dixisse pro: πριάμενος ἄλλην λήκυθον ἀντὶ τῆς ἀπολωλυίας, itaque ἀποπρίασθαι et πρίασθαι hic saltem differre; cui scholiastam ita oblocutum esse ut nullam dicat causam fuisse, cur Symmachus ad Aeschylum illud ἀποπρίω tendere contenderit, quum, quod statim sequitur: ἐγὼ πρίωμαι τῷδ', ad Euripidem ista dixisse Dionysum satis demonstret.

2) Mnemos. 24 p. 343.

improbabile mihi non videtur. Ibi enim ad Dionysi verba, vs. 1284: καὶ κόπον μὴ προστίθει scholium spectat.

Schol. Rav. ad vs. 1265. ἰή: τινὲς ἀξιοῦσι τὸ ἰὴ ψιλοῦν ὅταν μὴ ᾖ ἐν ἐφυμνίῳ· ἐκεῖ γὰρ δασύνεται.

Sic Ruth. codicis scripturam mutavit, ubi legebatur: ἐν ὕμνῳ. Veritatis quidem specie haec conjectura non caret [1]), vereor tamen ut opus ea sit. Vulgata servata, quid annotator voluerit aeque perspicuum est. Dicit enim ἰή ubi in hymnis legitur, i. e. ubi in deorum invocationibus adhibetur, aspirari, tenuari vero ubi pro exclamatione usurpatur, sicut Pac. vss. 195, 453; Aesch. Suppl. vs. 114, Pers. vs. 1003, Agam. vs. 1486.

Schol. Rav. ad vs. 1281. στάσιν: σύνοδον. διήγησιν. στάσιμον. | στάσιν μελῶν: <στάσις μελῶν> <ὃ> ᾄδουσιν ἱστάμενοι οἱ χορευταί. Iterum hic, ut identidem alias, suo arbitratu Ruth. contextum distraxisse opinor [2]). Legebatur: στάσιμον μέλος ὃ (Ven.) ᾄδουσιν κτλ., in quibus quid reprehendi possit plane non capio. Sin autem nexum sic desideras, etsi saepius abest, addiderim: <οἷον> στάσιμον κτλ. — Voc. διήγησιν Ruth. reddit: *a recitation*, recentioris graecitatis hanc notionem esse addens. Nusquam tamen hac sententia usurpatum reperi. Coll. vero Thom. M. p. 234: διήγησις ὅλον τὸ σύγγραμμα ἤγουν ἡ μὲν Ἰλιάς. . . . διήγημα δὲ μέρος τι. . . . . παραχρῶνται δέ τινες [3]), potius vertendum videtur: *pars canticorum, fragmentum.*

Schol. Rav. ad vs. 1282. κιθαρῳδικῶν: ἀντὶ τοῦ ξένων τραγῳδίᾳ.

Sic Ruth. ex conjectura pro: ἀ. τ. ξένην τραγῳδίαν. Anglice reddit: *foreign to tragedy*, *aliena a tragoedia*, quo tamen sensu

1) Cf. Et. M. p. 35. 1; Athen. XV p. 701 c.

2) De nimio ejus scholiorum dissolvendorum studio cf. Zacher. Philol. suppl. VII p. 522 sqq., Roemer l. l. p. 140 sqq.

3) Cf. Ammon. p. 43; Herod. p. 473, ed. Pierson, omnino in usu esse διήγημα negat.

nusquam, quod sciam, ξένος τινι legitur. Quare Ruth. errasse putandum est. Fortasse legere praestat: ἀ. τ. ξένων <ἐν> τραγῳδίᾳ, i. e. *inusitata*, *nova in comoedia* [1]).

Schol. Rav. ad vs. 1296. ἐκ Μαραθῶνος: διὰ τὸ ἔχειν τὸ Φλα ἐν ἀρχῇ τὸ παρόμοιον τῷ Φλεώς κτλ.

Integra haec non esse quivis statim videt. Totum scholium rudera longioris annotationis esse Ruth. putat. Loco nostro, qui intellegi nunc nequit, sic fere subvenire possemus: διὰ τὸ ἔχειν τὸ Φλα ἐν ἀρχῇ. <πρὸς τὸ Φλῶμος> τὸ π. τ. Φ. Voc. Φλόμος nonnumquam vitiose scribitur Φλῶμος [2]), quod cum stirpe Φλα, verbo Φλάω, cohaerere scholiasta fortasse putavit, ut Thesm vs. 385 σμῶδιγξ cum σμάω, cf. τραγ — τράγω. — Ignotae originis vocabulum est, teste L. Meyer l. l. III. p. 418 [3]).

Schol. Rav. ad vs. 1304. ἐνεγκάτω τις κτλ.: ὥστε ψᾶλαι τὰ Εὐριπίδου.

Ruth. vertit: *so as to accompany on it the melodies of Eur.*, quae sententia sane requiritur. Attamen nusquam verbum ψάλλειν cum objecti accusativo conjunctum sic legitur. In usu est νευρὰν vel χορδὴν ψάλλειν (cf. Suid., B. A. p. 180), vel simpliciter ψάλλειν: *citharam pulsare, fidibus canere.*

Qua propter scholium hoc modo dirimendum esse puto: ἐνεγκάτω τις κτλ.: ὥστε ψᾶλαι. Ubi non male correxeris: ἀντιψᾶλαι, cf. Av. vs 218. Cetera vs. 1307 adscribo: τὰ Εὐριπίδου <δηλονότι>.

Schol. Rav. ad vs. 1308. ἐλεσβίαζεν: λεσβιάζειν τὸ παρανόμως πλησιάζειν· διεβάλλοντο γὰρ ἐπὶ τούτῳ αἱ Λέσβιαι.

Sine justa causa Meinekium secutum esse Ruth. arbitror. Legebatur: οἱ Λέσβιοι, quod optime se habet [4]). Vitiosam hanc con-

---

1) Cf. Aesch. Prom. 688.

2) Cf. Suid. s. v. (ubi Bernhardy edidit φλῶβος), Zon. s. v. φλόνος.

3) De hocce scholio cf. v. Leeuwen Mnemos. 24 p. 332 sq.

4) Cf. schol. ad Vesp. vs. 1346; Phot. s. v. λεσβίσαι, Suid. s. v.

jecturam esse verisimile etiam reddit verbum πλησιάζειν, *coire*, quod semper fere de maribus ponitur [1]), raro de feminis [2]).

Schol. ad vs. 1310. (Dübn. p. 309 b 51) ἔστι δὲ τὸ προεγκείμενον ἐξ Ἰφιγενείας τῆς ἐν Αὐλίδι.

Quae omnino ferri nequeunt. Recte enim Hesych. s. v. προεγκεῖσθαι: προϋπάρχειν interpretatur.

Restituere cogitavi: προεκκείμενον i. e. *quod modo exposui;* minus tamen et hoc placet. Quare corrige: προκείμενον.

Schol. Rav. ad vs. 1323. ὁρᾷς τὸν πόδα τοῦτον: [καὶ] ταῦτα αὐτὸς προστίθησιν ἀναμωκώμενος Εὐριπίδην ὡς τὰ τοιαῦτα ἐν τοῖς μέλεσιν αὐτοῦ ἐπιτηδεύοντα.

Depravatum hunc locum esse suspicor, quod testari videntur voces καί et αὐτός. Nimis enim obscurum hoc est. Fieri potest ut recte de ipso comico αὐτός acceperit Ruth., ut Lys. 282, ubi tamen sine causa poetae nomen delevit. Sic vero magis solito ambigue locutus esset interpres, praesertim cum in ipso hoc vs. plures jam loquantur. Mihi sane probabilius esse videtur Aeschylum annotatorem hic indicare voluisse. — Deinde ne ultima quidem integra duco, ubi αὐτοῦ languet. Quas ob causas forsitan restituendum sit: <Αἰσχύλος λέγει> καὶ ταῦτα — ἐν τοῖς μέλεσιν αὐτοῦ ἐπιτηδεύοντος (nisi voc. αὐτοῦ delere mavis). Collato tamen schol Ven: ὡς καὶ τοιαῦτα ἀμοιβαῖα ἐν τοῖς μέλεσιν ἐπιτηδεύοντος Εὐριπίδου, dubito an τοῦτο pro ταῦτα legere praestet, ita ut ad voc. ὁρῶ scholium spectet atque e calamo annotatoris totum vs. Aeschylo tribuentis fluxerit [3]).

---

1) Cf. Suid. s. v. φυταλίζει; Demosth. XXXX. 8; Isocr. ad Nic. 37; Plut. Cic. 29, Thes. 19.

2) Cf. Hesych. s v. θηλυτεράων, Aristot. de gen. anim. 3. 1.

3) De hocce Euripidis dicendi genere cf. e. g. canticum quod continetur Ionis vss. 190—215.

Schol. Rav. ad vs. 1328. Κυρήνης: Κυρήνη τις ἑταῖρα ἐπίσημος δωδεκαμηχανὰς ἐπικαλουμένη κτλ.

Injuria codicis Rav. scripturam contra ceteros omnes codd., qui exhibent: δωδεκαμήχανος, tuetur Ruth. Cum quibus consentiunt Suid. s. v., Hesych. s. h. v. et s. v. Κυρήνη. cf. schol. ad Pac. vs. 792, ubi Xenocli tragico poetae hoc epitheton tribuitur.

Schol. ad vs. 1344. (Dübn. p. 310 b. 7). Νύμφαι ὀρεσσίγονοι: ἐκ τῶν Ξαντριῶν Αἰσχύλου φησὶν Ἀσκληπιάδης· εὗρε δὲ Ἀθήνησιν ἔν τινι τῶν διασωθέντων κτλ.

Quae mutila esse nemo non videt; nullo enim modo fieri potest, ut suos ipsius versus deriserit Aeschylus. Haec omnia aut ficta esse aut ex Euripide ducta recte v. Leeuwen statuit. Pro Αἰσχύλου autem Ald. exhibet: Εὐριπίδου, quod requiritur. Dobraeum igitur hoc delendum esse censere miror, neque magis tamen nomen Aeschyli expungendum est, me judice. Alia ratione locus emendandus est, quia ex sequentibus: οὐδὲ παρ' Αἰσχύλου ἥρμοζε τὰ τοιαῦτα λαμβάνεσθαι, diversas de horum verborum origine opiniones prolatas esse apparet. Ipse, Dobraeo viam mihi monstrante, propono: ἐκ τῶν Ξαντριῶν Αἰσχύλου φησὶν Ἀσκληπιάδης, <Εὐριπίδου δὲ . . . .> ἔν τινι τῶν διασωθέντων. Nomen grammatici cujusdam, a voc. Ἀθήνησιν loco suo motum, excidisse opinor.

Schol. Rav. ad vs. 1350. ὅπως κνεφαῖος κτλ.: πάλιν ἐπὶ πενίαν καὶ μικροπρέπειαν αὐτὸν κωμῳδεῖ.

Corrupta haec sunt; post πενίαν verbum intercidisse (e. g. εἰσάγειν) aut restituendum esse: ἐπὶ πενίᾳ καὶ μικροπρεπείᾳ arbitror. Fortasse etiam pro πενίαν aliud quid reponendum erit; minus enim verborum π. et μ. conjunctio placet, quorum alterum conditionem domesticam, alterum naturae atque artis vitium indicat. cf. schol. ad vs. 983. Verti certe cum Ruth. haec nequeunt: *for his poverty and meanness.* Nusquam enim supra de Euripidis paupertate sermo fuerat, nec mirum, quandoquidem ex paucis, quas de ejus vita

atque educatione habemus notitiis, in rebus angustis eum vixisse minime efficere licet [1]).

Schol. Rav. ad vs. 1367. τὸ γὰρ βάρος κτλ.: τινὲς φασὶν ἕως τῶν ἐνταῦθα τὸν Αἰσχύλον λέγειν, τὰ δὲ ἑξῆς τὸν Διόνυσον.

Quin perperam codd. sequentes huic vs. scholium adscripserint editores, nullus dubito. Prorsus enim insulsa essent ultima, cum nemini nisi Dionyso vs. 1368 sq., quos schol. sine dubio sic indicat, ullo modo assignari possint. Ad vs. 1364: καὶ ἐμοίγ' ἅλις annotatio pertinet, nisi fallor. De vss. 1365 sqq. interpretes dubitasse facile intellegitur, cum nonnulla insint quae suspicionem movent. Quin etiam quod editores hos vss. Aeschylo tribuentes in his non offenderint, potius miror. Mihi certe permirum videtur Aeschylum, quo modo certamen persecuturus sit, nunc indicare itaque facere quod Dionysi est totam disceptationem administrantis. Neutiquam in Aeschyli partes hoc cadit, quippe qui non nisi fastidiose certamen adierit, quod identidem ostendit. (cf. supra ad vs. 1180). Scholiastam nostrum, qui Aeschylo haec quoque dedit, (mea quidem conjectura admissa) moverunt voces αὐτόν et νῷν. Dubito tamen an horum „aliorum" opinionem rejicere non debeamus. Verba indicata interpretationi obstare nunc quidem videntur, explicari tamen etiamsi Dionyso hos vss. tribuimus, me judice, possunt, si Dionysum cladem Euripidis praesentientem jam jam Aeschyli partibus favere sumamus [2]), ita

---

1) Cf. Suid. s. v.; Gell. N. A. XV. 20; Bergk Gr. Litt. III p. 467 sq. quaeque de ejus bibliotheca amplissima tradit Athen. Epit. l. I. p. 3*a*.

2) Cf. Kock ad vs. 1400; v. Leeuwen ad vss. 1413, 1419; v. Velsen Philol. 24 p. 335: In der ganzen komödie vertheidigt sich Euripides sehr geschickt, wie das ja auch, wenn Aristophanes nur irgend welchen beifall ernten wollte, aus mehr als einem grunde durchaus nothwendig war, und nur die anwendungen und consequenzen, welche sein gewaltiger gegner Aeschylus aus seinen behauptungen herleitet und die erfahrungen, welche der richter Dionysos, *bei dem in der feinsten weise allmählig eine änderung des urtheils vorgeführt wird*, so dass er, der eifrige

ut familiariter fere nunc eo utatur. νῷν sic esset dativus ethicus, qui vocatur; ad ποίησιν, vs. 1366, autem subaudiendum erit αὐτοῦ. — Scholiastae opinioni praeterea quodammodo obstat vocula γάρ, ab editoribus neglecta, quae explicari etiam sic fortasse potest, multo autem melius se habet si haec sunt verba ejusdem qui dixit: παύσασθον ἤδη τῶν μελῶν. —

Ceterum de recta personarum distributione satis mihi non constat, utraque opinione molestias suas praebente. Dionyso hos vss. tribuendos esse censentibus assentiri valde tamen mihi arridet, quia sic tantum locus pugnare non videbitur cum tota personae Aeschyli indole atque, si interpretationem meam non probas, lenibus correctionibus difficultates, ab interpretibus fortasse oriundae, tolli possunt, legendo scil. αὐτούς et σφῷν. Vs. 1365 ad spectatores sic dicitur, vs. sq. ad poetas, ut saepius vss. in fabulis dividuntur [1]).

At, dixerit aliquis, cum hac tua explanatione pugnant quae sequuntur in chori cantico: ἐπίπονοί γ' οἱ δεξιοί. Quae objectio prima specie haud parvi momenti videtur, praesertim si cum Kockio ἐπίπονοι vertas: *industrii, qui semper aliquid novi excógitant.* Hujusmodi vero interpretationem rejicio. Nusquam adjectivum sensu *ingeniosus* praeditum legitur; etiam Plat. Phaedr. 229 d, quem locum afferunt editores, significat: *laboriosus*, *industrius.* Nec nisi artificiose ex hac notione derivari potest significatio: *ingeniosus.* Accedit quod nova inquirendi ratio Aeschyli inventum ne dici quidem potest. In vs. 797 enim inter instrumenta, quibus in certamine usuri sunt, janitor trutinam jam nominavit, ita ut a Plutone excogitatum potius hoc videatur. Neque spectatores fugere hoc potuit, cum revera in scena omnia haec instrumenta affuisse necesse

---

verehrer des Euripides, immer mehr nach der seite des Aeschylus hinneigt, beibringt, bringen ihn in die klemme.

1) E. g. cf. vss. 571, 921, 1007, 1018.

sit. Dixit enim janitor, vs. 799: *καὶ κανόνας ἐξοίσουσι* et paullo ante Aeschylus (Dionysus), vs. 1365: *ἐπὶ τὸν σταθμὸν*, tamquam de re praesenti [1]. — Quas ob causas alia explicatione opus esse existimo Equidem sic censeo: verba haec esse chori (vel chori ducis, ut arbitratur v. Velsen), admiratione poetarum perseverantiae imbuti, qui quamquam diuturno certamine jam fessi, ad hoc etiam perpetiendum prompti ac parati sunt: „*Profecto*, *laborum patientes sunt docti.*"

Ad vs. 1371 sqq. In his versibus plura sunt, quae suspicionem mihi movent. Primum haecce verborum conjunctio: *τόδε γὰρ ἕτερον αὖ τέρας* | . . . . . *ὃ τίς ἂν ἐπενόησεν ἄλλος*; Vox *τέρας* usurpatur de quavis re extra humanam rationem posita et mirifica, quae unde *subito* oculis nostris subjiciatur, ignoramus. Num graece igitur dici possit: *τέρας ἐπινοεῖν*, *prodigium excogitare*, vehementer dubito. Mihi quidem valde hoc displicet et, siquid in sermone sentit animus, tantopere laedit ut spurium esse voc. *τέρας* conjiciam. Quod aliud substantivum aut infinitivum loco suo movisse probabile puto. Saepius enim *ἐπινοεῖσθαι* sensu: *in animum sibi inducendi*, cum infinitivo construitur [2]. Nec quidquam offensionis infinitivus habet, qui frequens est in admirantum vel indignantum exclamationibus [3]. Praeterea etiam glossema Suidae: *ἀτοπίας πλέων πρᾶγμα*, indicationem fortasse praebet; quod, si apud poetam infinitivus legatur, explicari possit. Quas ob causas virorum doctorum arbitrio hanc meam conjecturam subjicere audeo, legendum esse:

---

1) Obiter notandum est minus recte igitur post vs. 1369 Leeuwenium addidisse: „Ministri bilancem ingentem in scena collocant."

2) E. g. Nub. vs. 1039; Thesm. vs. 338; Equit. vss. 884 (ubi facile infinitivus suppletur), 1202.

3) Cf. vs. 741; Av. vss. 5, 7; Vesp. vs. 835; Nub. vss. 268, 819; Plut. vs. 593; Eccl. vs. 787; Eur. Med. vs. 1052; Soph. Aj. vs. 410; Aesch. Eum. vs. 840; Xen. Cyr. II. 2, 3; Verg. Aen. I. 37, 97, XI, 269.

τόδε γὰρ ἕτερον αὖ περᾶν
νεοχμόν, ἀτοπίας πλέων.
ὃ τίς ἂν ἐπενόησεν ἄλλος;

i. e. *Aliud enim novum, insolentiae plenum facinus rursus eos sustinere! Quisnam alius hoc (facere) in animum sibi induxisset?* Quae vide quam pulchre cum explicatione mea vs. 1370 congruant. — Verbum autem περᾶν eadem sententia legitur e. g. Aesch. Cho. vs. 269: κίνδυνον περᾶν, qui sensus perfacile a solito derivari potest.

Praeterea *vs. 1375* verba: τῶν ἐπιτυχόντων in controversiam adduci posse mihi videntur. Plane enim supervacua sunt, quin etiam inepte hic se habent, si cum editoribus intellegis: *quisquis ille est*, *le premier venu*, quod semper quodammodo detrectantis est. Sententiam prorsus contrariam exspectaveris, scil. ut dicatur: *Equidem etiamsi fide dignissimus quidam haec mihi narravisset credere nollem!* Cui si astipulari nequeas (nusquam sane alias hac sententia verbum occurrit, quod sciam), vitium hic latere statuas oportet. An forte legendum: παρατυχόντων?

Schol. ad vs. 1378. (Dübn. p. 311. 16) παρὰ τὼ πλάστιγγ᾽: . . . . τὸ δὲ σχῆμα Ἀττικὸν ὡς τὼ χεῖρε, τὼ πόλει καὶ νὴ τὼ σιώ.

Ridicule τὼ πόλει Dind. scripsit pro: τὼ πόλιε, quem temere secutus est Dübn. Immo: τὼ πόδε. (ΠΟΛΙΕ pro ΠΟΔΕ).

Schol. Rav. ad vs. 1380. κοκκύσω: συρίσω.

Collato schol. ad Plut. vs. 689 corrige: συρίξω.

Ad vs. 1386 sq. Δ ι ο. ὅ τι; εἰσέθηκε ποταμόν, ἐριοπωλικῶς
ὑγρὸν ποιήσας τοὔπος ὥσπερ τἄρια,
σὺ δ᾽ εἰσέθηκας τοὔπος ἐπτερωμένον.

Horum vss. alter valde suspectus mihi est, quem ex grammatici cujusdam interpretamento vocis ἐριοπωλικῶς: ὑγρὸν ποιήσας ὥσπερ τὰ ἔρια, vel hujusmodi aliquid, procrevisse opinor. Verba ὥσπερ τἄρια misere languent et vocis τοὔπος repetitio, idque eodem vs.

loco, satis inelegans est, immo ferri vix posse mihi videtur. Neque scholiastam nostrum cognitum eum habuisse mihi constat. Ad vs. 1386 annotat: ὡς οἱ τὰ ἔρια πωλοῦντες βρέχουσιν αὐτὰ ἵνα βαρύνωσιν ἐν τῷ σταθμῷ, quorum priora usque ad ἵνα alioquin certe omisisset. Nimis audacem igitur me esse non existimo si interpolatori vs. 1387 nos debere contendo. — Similes ob causas viri docti hosce vss. delerunt: 15, 168, 612, 1086, 1122, 1157 [1]).

Schol. ad vs. 1400. (Dübn. p. 311. 35) μήποτ' οὖν ἐκεῖθεν (scil. ex Telepho) ᾖν. μᾶλλον δὲ ἐσχεδιακὼς εἴη Ἀριστοφάνης. οὐδὲ γὰρ τὸν Εὐριπίδην τοῦτο προφερόμενον <ποιεῖ> ἀλλὰ τὸν Διόνυσον χλευάζοντα.

Voc. ποιεῖ inserui, uno tenore ultima legens, in quibus ante ἀλλὰ puncto distinguit Dübn. v. Leeuwen [2]) proposuit; προφέρειν νῦν, cui conjecturae correctionem meam antepono.

Schol. Rav. ad vs. 1422. Ἀλκιβιάδου: περὶ τῆς δευτέρας αὐτοῦ λέγει ἀποχωρήσεως, ἣν ἑκὼν ἔφυγεν, κατελθὼν μὲν ἐπὶ Ἀντιγένους πρὸ ἐνιαυτοῦ τῶν Βατράχων, διὰ δὲ τὸ πιστεῦσαι Ἀντιόχῳ τῷ κυβερνήτῃ τὸ ναυτικὸν <ὄν> καὶ ἡττηθῆναι ὑπὸ Λυσάνδρου δυσχερανθεὶς ὑπ' Ἀθηναίων.

Inserui pronomen quo opus est. Pugnae enim navali apud Notium ipse Alcibiades non affuit testibus Xen. Hell. I. 4. 11 sqq.; Diod. Sic. XIII. 71.

Ad vs. 1422 sq. Διο. πρῶτον μὲν οὖν περὶ Ἀλκιβιάδου τίν' ἔχετον
γνώμην ἑκάτερος; ἡ πόλις γὰρ δυστοκεῖ·

Kock annotat: hier nicht: „*gebiert schwer*", sondern: „*hat Unglück mit ihren Kindern*". Quae versio, nimis artificiosa, non fecit ut in vulgata acquiescerem. Meineke conjecit: διστομεῖ, ipse Kock: δυσφορεῖ, non multo felicius, si quid video. Erat cum ipse tentabam: δυστυχεῖ, cui lectioni favere putabam vs. 1449. Nuper vero speciosam vulgatae interpretationem, ab editoribus hucus-

---

1) Cf. Martin l. l. préf. p. 15.

2) Mnemos. 24 p. 344.

que neglectam, inveni v. cl. Herwerdeni [1]). Verbum τίκτειν non raro translate de ingenii foetibus in usu esse observat, τίκτειν μέλη, λόγους, νόμους (cf. vs. 1059), quod reputantes interpretari nos posse: δυστοκεῖ τὴν γνώμην: *difficulter (certam de Alcibiade) parit sententiam*, i. e. quid de eo sentire debeat vix novit civitas. Eamque ipsam ob causam Dionysum viros sapientes, Aeschylum et Euripidem, rogasse quid de illo sentiant. — Sic veram loci sententiam ille primus enucleavit, me judice.

Schol. Rav. ad vs. 1427. μισῶ πολίτην κτλ.: αὕτη Εὐριπίδου ἡ γνώμη μὴ καταδέχεσθαι ἐφάπαξ Ἀλκιβιάδην.

Tacite Dind. et Dübn. ediderunt: καθάπαξ, quae lectio valde mihi arridet. καθάπαξ, praesertim cum negatione conjunctum, significat quod hic requiritur, *omnino*, *prorsus* [2]); ἐφάπαξ autem valet: εἰσάπαξ, *semel*, *eens vooral*, ut nos loquimur [3]), vel apud numeralia: *simul* [4]). — Fortasse ex ἔτ' ἅπαξ, quod exhibet cod. Rav., procrevit.

Schol. Rav. ad vs. 1431. οὐ χρὴ λέοντος κτλ.: .... ὥστε ὁ μὲν Εὐριπίδης συμβεβούλευκε μὴ δέχεσθαι (scil. τὸν Ἀλκιβιάδην), ὁ δὲ Αἰσχύλος τοιαύτην τινὰ διάνοιαν, ἢ μὴ καταδέξασθαι ἢ καταδεξαμένους τροποφορεῖν.

Ruth. ultima reddit: *whereas Aeschylus counsels some such plan as this — that they should not take him back.* Locutio vero συμβουλεύειν διάνοιαν num umquam graecum fuerit, magnopere addubito. Significat διάνοια (sing.) non tam objective (ut hac voce utar): *consilium*, quam subjective: *cogitatio*, *propositum*. Quare restituendum videtur: ..... ὁ δὲ Αἰσχύλος τοιαύτην τινὰ διάνοιαν

---

1) Herm. 24 p. 630.

2) Cf. Hom. Od. XXI, 349; Demosth. XIX, 118; Pol. I, 2. 6, 38. 5; Dion. Hal. VI, p. 761.

3) Cf. N. T. Rom. 6, 10; Hebr. 7, 27; 9, 12; 10, 10.

4) Cf. Dio Cass. 66. 17, 69. 8; N. T. 1 Cor. 15, 6.

<ἔχει> ἢ μὴ καταδέξασθαι κτλ. Huic suspicioni etiam favere videtur infinitivus aoristi, qui optime servari nunc potest. Post διάνοιαν ἔχω et διανοοῦμαι cum futuri tum aoristi infinitivus ponitur [1].

Schol. ad vs. 1463. (Dübn. p. 312 b. 36) τὴν γῆν ὅταν νομίσωσι: τὴν Περικλέους γνώμην λέγει. εἰ τὴν μὲν Ἀττικὴν ὡς πολεμίαν ἐάσουσι τέμνεσθαι, ἢ καὶ οὐ τέμνουσι, τὴν δὲ Λακωνικὴν περιπλεύσουσιν.

In his verba: ἢ καὶ οὐ τέμνουσι nihili esse planum est. Quae Suid. quoque s. v. Περικλῆς, scholio nostro usus, praetermisit. Collatis Periclis verbis apud Thuc. I. 143, 5: καὶ εἰ ᾤμην πείσειν ὑμᾶς, αὐτοὺς ἂν ἐξελθόντας ἐκέλευον αὐτὰ δῃῶσαι reponendum esse opinor: ἢ καὶ <αὐτοὶ> τεμοῦσι.

Schol. Rav. ad vs. 1497 i. f. σκαριφησμοῖσι: σκιαγραφίαις· σκαριφεύειν γὰρ τὸ τοὺς ζωγράφους ὑποτυπῶσαι.

Perperam me judice, quod vel forma scholii insolita indicare videtur, Ruth. cod. Ven. secutus est, haec recipiens pro: τοῖς ζωγράφοις, quae exhibet Rav. Melius restitues: σκαριφεύειν γὰρ τὸ <παρὰ> τοῖς ζωγράφοις ὑποτυπῶσαι, i. e. *verbum σκ. idem significat atque in sermone, quo utuntur pictores, ὑποτυπῶσαι, leviter imaginem delineare.* cf. Poll. VII. 128: τὰ δὲ μέρη τῆς τέχνης (scil. picturae) ὑποτύπωσις, ὑπογραφή, σκιαγραφή et deinde: σκιὰν ὑποτυπώσασθαι. — Ex hac arte translatum de quavis re perfunctorie et minus accurate facta verbum usurpatur.

Schol. ad vs. 1505. (Dübn. p. 313 b. 40) τοῖσι πορισταῖς: .... τούτους λέγει, τοὺς <τὰ> περὶ πόρου χρημάτων εἰσηγουμένους.

Addidi τὰ, coll. Suid. s. v.; Phot. s. v. Verte: *illos indicat, qui consilii de conficiendis reditibus auctores fuerunt.*

Schol. Rav. ad vs. 1513. Ἀδειμάντου: στρατηγὸς ἦν τοῦ ναυτικοῦ. καὶ Εὔπολις μέμνηται ἐν Πόλεσιν οὕτω ποιῶν τὸν Ἀδείμαντον <λέγειν>:

---

1) Cf. Classen ad Thuc. VIII 74, 3.

οὐκ ἀργαλέα δῆτ' ἐστὶ πάσχειν τοῦτ' ἐμὲ | τὸν Λευκολοφίδου παῖδα τοῦ Πορθάονος;

Ita Ruth.; Dind. edidit: .... οὕτως περὶ τοῦ Ἀδειμάντου: οὐκ κτλ. In codice est: περὶ τὸν Ἀδείμαντον. Neutri vero astipulari possum. Ruth. ut audacter verborum contextum sic corrigeret, inductus est, nisi fallor, voce ἐμέ in vss supra laudatis, quos ipsius Adimanti fuisse existimabat. Nunc enim alii actori, qui eos pronuntiaverit, tribui non possunt ob scholii nostri formam. Ipsum vero Adimantum in scenam processisse, luculenter, me judice, verbum μέμνηται refutat. Nullo enim modo commentator, si ipsius Adimanti in comoedia laudata partes fuissent, dicere nunc potuit Eupolin ejus „*memorem fuisse.*" Locum hoc modo emendandum esse suspicor: στρατηγὸς ἦν τοῦ ναυτικοῦ <οὗ> καὶ Εὔπολις μέμνηται ἐν Πόλεσιν οὕτω πρὸς τὸν Ἀδείμαντον <λέγων>: οὐκ κτλ., i. e. *classis praefectus erat*, *cujus etiam Eupolis in Civitatibus memor est*, *ita in Adimantum jocans* etc. — Verba laudata fortasse sunt hominis cujusdam, qui ignaviae reus vel ignominiose vexatus, jocose sic respondit, nominum sonum bellicum significans.

THESES.

I.

Rationes criticae, quas in recensendis scholiis Aristophaneis sequitur Rutherfordus, ab omni parte probandae non sunt.

II.

Quod Leeuwenius suspicatur (cf. Ran. praef. p. 6) Aristophanem Sophocle vivo initium Ranarum fabulae conscribendae jam fecisse, probabile non est.

III.

Arist. Ran. vs. 448 sqq. (ed. v. Leeuwen)

χωρῶμεν εἰς πολυρρόδους
λειμῶνας ἀνθεμώδεις,
τὸν ἡμέτερον τρόπον,
τὸν καλλιχορώτατον,
παίζοντες, ὃν ὄλβιαι
Ὧραι ξυνάγουσιν.

Legatur: ἵν' ὄλβιαι | Μοῦσαι (cum Meinekio) ξυνάγουσιν.

IV.

Arist. Vesp. vs. 999 sq. (ed. v. Leeuwen)

πῶς οὖν ἐμαυτῷ δῆτ' ἐγὼ ξυνείσομαι
φεύγοντ' ἀπολύσας ἄνδρα;

Rescribendum est: ξυγγνώσομαι.

V.

Soph. Electr. vs. 792.

ἄκουε, νέμεσι τοῦ θανόντος ἀρτίως.

Legere praestat: ἀθλίως.

VI.

Thuc. III. 108. 3. (ed. Classen)

ἐπαναχωροῦντες δέ, ὡς ἑώρων τὸ πλέον νενικημένον καὶ οἱ ἄλλοι Ἀκαρνᾶνες σφίσι προσέκειντο, χαλεπῶς διεσῴζοντο ἐς τὰς Ὄλπας, καὶ πολλοὶ ἀπέθανον αὐτῶν. * ἀτάκτως καὶ οὐδενὶ κόσμῳ προσπίπτοντες πλὴν Μαντινέων· οὗτοι δὲ μάλιστα ξυντεταγμένοι παντὸς τοῦ στρατοῦ ἀνεχώρησαν.

Transponendum est: .... εἰς τὰς Ὄλπας, ἀτάκτως καὶ οὐδενὶ κόσμῳ προσπίπτοντες. καὶ πολλοὶ ἀπέθανον αὐτῶν πλὴν Μαντινέων· οὗτοι κτλ.

VII.

Thuc. V. 105 i. f. (ed. Classen)

καίτοι οὐ πρὸς τῆς ὑμετέρας νῦν ἀλόγου σωτηρίας ἡ τοιαύτη διάνοια.

Post σωτηρίας inseratur: ἐλπίδος.

VIII.

Athen. Deipn. I p. 11b (ed. Kaibel)

ταῦτ' εἶπε τὸ Θετταλὸν σόφισμα ἤτοι ὁ ἐκ Θετταλίας σοφιστής· παίζει δ' ἴσως πρὸς τὴν παροιμίαν ὁ Ἀθήναιος.

Ultima inde a verbo παίζει expungenda sunt.

IX.

Athen. Deipn. II. p. 60e (ed. Kaibel)

ἐγὼ γὰρ εἰ τῶν ὑμετέρων φάγοιμί τι,

μύκητας ὠμοὺς ἂν φαγεῖν ἐμοὶ δοκῶ
καὶ στρυφνὰ μῆλα κεἴ τι πνίγει βρῶμά τι.

Cum L. Dindorfio corrigendum est: βρῶμ' ἔτι.

X.

Juv. Sat. IV. vs. 136 sqq. (ed. Weidner)

vicit digna viro sententia. noverat ille
luxuriam imperii veterem noctesque Neronis
jam medias aliamque famen, cum pulmo Falerno
arderet.

Fortasse legendum: *immodicas.*

XI.

Juv. Sat. IX. vs. 118 sqq (ed. Weidner)

vivendum recte, cum propter plurima, tunc et
idcirco ut possis linguam contemnere servi,
praecipue cave sis tu linguas mancipiorum
contemnas. nunc lingua mali pars pessima servi;

Restituendum: . . . . linguam contemnere servi.
contemnas, *nam* lingua mali pars pessima servi.

XII.

Juv. Sat. XIII vs. 248 sq.

. . . . tandemque fatebere laetus
nec *surdum* nec Tiresian quemquam esse deorum.

Legere malim: *Drusum.* cf. ib. III 238.

XIII.

Verg. Aen. IV vs. 509 sqq.

stant arae circum, et crinis effusa sacerdos

ter centum tonat ore deos, Erebumque Chaosque
tergeminamque Hecaten, [tria virginis ora Dianae].

Verba inclusa delenda sunt.

XIV.

Tac. Germ. c. 5.

Terra etsi aliquanto specie differt, in universum tamen aut silvis horrida aut paludibus foeda, umidior qua Gallias, *ventosior* qua Noricum ac Pannoniam aspicit;

Melius legitur: *nemorosior*.

XV.

Ten onrechte zegt Windelband (Gesch. d. Phil. [2] p. 29), dat Heraclitus een „substratlose Bewegung" aannam, dat het vuur bij hem was „die züngelnde Verwandlung selbst, das Auf- und Abschweben des Werdens und Vergehens".

XVI.

De verklaring van *θεός* als *οὐρανός* in dit fragm. van Xenophanes:

εἷς θεός, ἔν τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισι μέγιστος
οὔτε δέμας θνητοῖσιν ὁμοίιος οὔτε νόημα,

bij Diels (Poet. philos. fragmm. III p. 42), verheldert het begrip niet.

XVII.

De opvatting, dat in Plato's Apologie de gedachtengang der door Socrates uitgesproken verdedigingsrede, met Plato's eigen woorden weergegeven, gevonden wordt, is de meest waarschijnlijke; de argumenten van Schanz voor zijn meening, dat de Apologie een fantaziestuk is, zijn niet steekhoudend.

XVIII.

De mededeelingen van Plutarchus Oth. c. 3 over het soldatenoproer, zijn onjuist. cf. Tac. Hist. I. 80.

XIX.

Alcibiades was een neef van Pericles; zijn grootvader Megacles was een broer van Pericles' moeder.

XX.


Voor zijn beschrijving van den Boeotischen oorlog heeft Xenophon geen Boeotische bron gebruikt.

XXI.

De heroen moeten beschouwd worden als de prototypen der goden.

XXII.

Het is wenschelijk, dat de toelating tot de Universiteiten wordt overgelaten aan de leeraren der respectieve gymnasia.


UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 15 21 09 11 001 9